LVCERNA PEDIBVS VIATORVM LVMEN, VERBI DIVINI PRÆFERENS.

IVXTA ILLVD, *Psal: 118.*

Lucerna pedibus meis, Verbum tuum & Lumen ſemitis meis.


AVTHORE,

R. Dño. MATTHÆO ALOYSIO SCVPIEN, *A. A. & Philoſophiæ Doctore,*
PAROCHO ROSMIRENSI.

In qua ſuper totius Anni Dominicas, Allocutiones Sacræ continentur.

Cum Licentia Superiorum.

CRACOVIÆ,
In Officina Alberti Siekielowic, S. R. M. Typographi.
Anno Domini, M. DC. LX. IX.



 S. Ephrem, in Psalmi 118. ℣. 105.

QVid ais Propheta? Lucerna non oculis lucet? numquid pedes oculos habent? quo igitur pacto, omissis oculis visum pedibus attribuis? (verùm) pedes Animæ sunt intellectuales oculi!

RE-

REVERENDISSIMO,

Perillustri, ac Doctissimo Domino, D.

VENCESLAO ABSALONI
DE MAGNA PACZYNA
PACZYNSKI,

BASILICARVM CATHEDRALIS, ET COLLEGIATÆ SANCTÆ CRVCIS VRATISLAVIÆ PRÆPOSITO,
Canonico Olomucensi, Maioris Glogouiæ Scholastico,
SSmi D. N. CLEMENTIS IX. Cubiculario, (Plenissimis Titulis,)
Domino, Patrono meo Honorandissimo.

C*VM Lucerna venio* REVERENDISSIME DOMINE, *non vt lucem luci, & Tuis cùm Gentilitijs, tum Ecclesiasticis addam Splendoribus; id quod olim Lucernâ instructus ardente, & Neronis palatium ingressus, re & Nomine, Secundus excusabat Philosophus: non vt cum Diogene Cynic. Hominem quæram in meridie; sed potiùs candelabrum inueniam, super quo, Lucerna pedibus viatorum Lumen Verbi Diuini præferens, & statui valeat, & illuminari. Non extinguetur in nocte, nec eam facilè comprehendent tene-*

 bræ,

bræ *si* REVERENDISSIMÆ, *& Perillustris Dominationis Tuæ irradiata fauore luxerit, & gratiâ; salua consistet, si ei* PACZYNSKIANA *in Protectionem fuerit* ASCIA. *Magnus olim re & Nomine Moscorum Dux, Legatis Tartarorum* ASCIAM *dum porrigit, Duci vestro, inquit, reddite dicentes: Caput* ASCIA *tollet. Apagite & vos infesti Lucernæ pedibus viatorum Lumen, Verbi Diuini præferenti culices, non solùm Vulcanum, quo aduri timendum vobis gerit, gerit & Tutelarem* ASCIAM, *quâ se extinctum ire præsumentes arceat! Et certè proditum est memoriæ, in Antiquissimis quandoq; cryptis, arsisse multis Sæculis Lucernas vti Epist. ad Alphenum refert Maturantius, qualis in sepulchro Tulliolæ* PAVLO III. *Pontifice Maximo, annis post quingentis & quinquaginta reperta est. In absentiam contrarij, hoc referunt nonnulli. Sed idem istbæc, siue ad veniæ mercatum, siue ad perditæ Drachmam gratiæ quærendam, accensa Lucerna; feliciori euentu, quàm totius quondam domitor Orbis Macedo, obsessis accendebat Vrbibus, sibi pollicetur, modò in Tuæ* REVERENDISSIMÆ, *& Perillustris Dominationis, sinu velut aureo luxerit candelabro. Ad Lucernam confugit Lucerna, de qualibus olim seruo suo Moysi, Exodi* 25. *DEVS:* Facies Lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt luceant ex aduerso. *Te enim inter Septem Reuerendissimi, & Perangusti* CAPITVLI *Vratislauiensis Prælatos, velut Lucernas Episcopatûs, ipse, Faustissimo Omine, Primum esse voluit, & posuit DEVS! Admitte* REVERENDISSIME *Tuis acclinem pedibus: non profanum vltrà (vt veteri iacitur Prouerbio) Vulcanum, sed Diuini Lumen Verbi gerit, quemadmodum, lib.* 4. *cap.* 11. *ait Kempensis:* Posuisti Lucernam pedibus meis, Verbum tuum; *Admitte! & Sol Iustitiæ, in cuius pennis Sanitas,* REVERENDISSIMAM *& Perillustrem Dominationem Tuam, Ecclesiæ DEI, Patriæ, & mihi diu incolumem seruet clienti.*

Reuerendissimæ, & Perillustris
Dominationis Tuæ,

Seruus humillimus,

M. MATTHÆVS ALOYSIVS SCVPIEN,
Parochus Rosmirensis.

AP-

APPROBATIO, ET FACVLTAS.

M. ALBERTVS ŁANCVCKI, I. V. Doctor & Professor, *Archidiaconus Pilecensis, Cancellarius SS. Omnium, & in Arce Cracouiensi ad S. Michaëlem Canonicus, Almæ Vniuersitatis Cracouiensis Studij,*

GENERALIS RECTOR.

F*Acultatem concedimus, quatenus* LVCERNA *hæc: Opera R. D.* MATTHÆI ALOYSII SCVPIEN, *A. A. & Philosophiæ Doctoris, Parochi Rosmirensis accensa; ne pedes Viatorum lædantur, & per infra scriptum Commissarium nostrum, A. R. D.* SEBASTIANVM STRYIEWICZ, *S. Th: Sententiarum & Professorem,* S. FLORIANI *Canonicum, eâ quâ par est fide lustrata, & approbata; lucem aspiciat publicam in prælo, ad illuminandas mentes Christi Fidelium.* 27. *Iunij,* 1669. *in Collegio D. D. Iurisconsultuum Cracouiæ.*

L*VCERNAM pedibus Viatorum, Lumen Verbi Diuini præferentem, Opera & Studio A. R. D.* MATTHÆI ALOYSII SCVPIEN, *A. A. L. L. & Phil: Doctoris, Parochi Rosmirensis elaboratam, ex Commissione Perillust: Magnifici, & Adm. R. D.* ALBERTI ŁANCVCKI, *I. V. Doct. & Profess. Archid: Pilecen: Cancellarij SS. Omnium, S. Michaelis in Arce Cracouien: Canonici, & Almæ Acad: Crac: Generalis Rectoris, debitâ cum diligentia vidi, & legi: nihilq; in illa, quod aut Sacrosanctæ Fidei Romanæ Catholicæ, aut bonis moribus, sit dissonum: quin imò Doctrinam Christianam, quæ & in legentium, & in audientium animis magnum in Spiritualibus profectum sit, factura reperi.*

M. Sebastianus Stryiewicz, S. Th. Sentent.
in Acad: Crac: Canonicus S. Floriani, *m. pr.*

E*Go infra scriptus, ex speciali Commissione Reuerendissimi Consistorij Episcopalis Vratislauiensis, Conciones R̄ndi D̄ni.* MATTHÆI ALOYSII SCVPIEN, *Rosmirensis Parochi, A. A. & Philosophiæ Magistri, quæ* LVCERNA *pedibus Viatorum, Lumen Verbi Diuini præferens, intitulantur, legi cum omni attentione, ac diligentia; nec quidquam reperi, quod Sacræ Catholicæ Doctrinæ, aut probis moribus aduersetur. Quapropter prælo dignas censeo. Oppolij, Anno Domini,* 1669. *Die* 15. *Iulij.*

Constantinus Franciscus Iwanicki,
C. L. Decanus & Commissarius
Oppoliensis, *m. pr.*

AD

AD LECTOREM.

Matt. 5. CÆlestis Magistri edictum est: ne accensam LVCERNAM ponamus sub modio, sed super candelabrum, vt omnes lumen videant, qui in domo sunt, id quod præstari existimem ab ijs etiam, quos Verbi sui præcones, voluit esse Dominus in domo Ecclesiæ suæ sanctæ. Vndè, cùm ex hac ratione, etiam ad domum Domini pertineam, non facilè ausim cõmittere, vt qualis qualis LVX, quæ vel indignos, à Patre luminum immissa, collustrare assolet, à tenebris silentij comprehensa, nemini luceat. Proinde LVCERNAM pedibus Viatorum, Lumen Verbi Diuini præferentem, exili vt stylo, ita & conceptu prædicationis meæ
Psal. 90 micantem, ne fortè offendant ad lapidem, quibus longa
3. Reg. c. 19. adhuc, vsq; in montem DEI, restat via, ministratum eo. Numen Diuinum interim deprecans, vt vnà omnes, abie-
Rom. 13. ctis operibus tenebrarum, & lucis Arma induti, sicut in die honestè ambulemus, & tandem inter Filios lucis, ab
1. Tim. cap. 5. eo, qui inaccessibilem lucem inhabitat, referamur.

Matthæus Aloysius Scupien,
A. A. L. L. & Philosophiæ
Doctor.

DO-

DOMINICA I. ADVENTVS.

Scitote, quoniam propè est.

Luc. 21. cap.

POnderatis hodierni Euangelij verbis, in quo Dominus ac Redemptor noster paratos nos inuenire desiderans, senescentem mundum, quæ mala sequantur denunciat, vt nos, teste *D. Gregorio, Hom: 1. in Euang.* S. Greg. Hom: 1. in Euang.
ab eius amore compescat; occurrit animo, S. Hilarij per quàm aptissima monitio: paratos igitur esse nos conuenit, quia diei ignoratio, intentam sollicitudinem, suspensæ expectationis exagitat. *Comment: in Matth: Canone 16. in fine.* Hinc ipsum etiam Dominum audimus, mox adhortantem: Attendite autem vobis, ne fortè grauentur corda vestra crapulâ & ebrietate, & curis huius vitæ, & superueniat in vos repentina dies illa. Tanquam laqueus superueniet in omnes, qui sedent super faciem
omnis terræ. *Luc. 21.* Magna profectò & vniuersalis diei ignora- Luc. 21.
tio ista, de qua interrogantibus, *Actor: 1. cap.* Non est vestrum Act. 1.
nosse tempora vel momenta, quæ posuit Pater in sua potestate.
Et Marc: 13. De die autem illo, vel hora, nemo scit, neq; Angelus Marc: 13.
in cœlo, neq; filius, nisi Pater: consequenter *Matth: 24.* de die illa Matt. 24.
& hora, nemo scit: neq; Angeli cælorum, nisi solus Pater. demùm
Luc: 17. habes: Regnum DEI non venit cum obseruatione, & A-
postolus *1. Thessal: 5.* Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Pa- Luc: 17.
ratos igitur esse nos conuenit, quia diei ignoratio, intentam solli- 1 Thess. 5.
citudinem suspensæ expectationis exagitat. De hoc, vt aptè ad Maiorem Dei Gloriam dicamus, Angelicâ Salutatione Deiparam Virginem obsecremus.

Scitote

Scitote quoniam propè eſt. *Luc:* 21. *cap.*

AD vigilem præparationem, vt nimirùm digni habeamur, fugere iſta omnia, quæ futura ſunt, & ſtare antè filium hominis, quod ipſe miſericordiſſimè præmonet, vel potiſſimè repentinus, mundi veteris, tempore Noe, interitus facit *Auditor Deuotè;* ſic enim
[Matt. 24] de illo, *Matt:* 24. *cap.* legere eſt: ſicut autem in diebus Noë, ita erit & aduentus Filij hominis. Ecce aliorum exemplo ſapere vult nos Dominus! Sicut enim erant in diebus ante diluuium, comedentes & bibentes: nubentes & nuptiui tradentes, vſq; ad eum diem, quo intrauit Nòë in Arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes, ſiue, vt addit Lucas, donec ira Dei venit ſuper eos, ita erit & aduentus filij hominis. aduertitis? vult enim dicere, comparando ad tempus diluuij præteriti, tempus futuri Iudicij, ita non aduertent diem aduentûs mei, comedentes & bibentes: nubentes & nuptiui tradentes, donec veniat, ſicut fur in nocte dies Domini. Sed numquid in præſentiarum vt olim, in
[Luc: 16.] diebus noſtris, vt in diebus Nòë fit Auditor? vnus Epulo *Luc:* 16. *cap.* legitur, ſolummodò ſepultus in inferno, plures, ſeriùs aut citiùs, vt reſipiſcant orandus DEVS, ibidem ſepeliendi, induuntur purpurâ & byſſo, & epulantur quotidie ſplendidè. Ducunt in
[Iob, 21.] bonis dies ſuos, vt aiebat *Iob.* 21. *cap.* omnia quæ deſiderant oculi,
[Eccl: 2] non negant eis, *Eccleſiaſtæ* 2. *cap.* potentes etiam ſunt ad bibendum vinum, & miſcendam ebrietatem, vt habet *Iſaias cap.* 5. An
[Iſaiæ, 5.] dies Nòë dies noſtri? ſapientis eſto iudicium. Si etiam placet nubentes, & nuptui videre tradentes, ex *Iſaia* facilè cognoſces,
[Iſaiæ, 4.] nam illud *cap.* 4. eius vaticinium, liceat ita accipere ad noſtrum propoſitum, in diebus noſtris pleniſſimè completur; Apprehendent ſeptem mulieres virum vnum dicentes: panem noſtrum comedemus, &c. vnius Viri, non iam ſeptem, ſed plures, ambire nuptias, facilè reperies; cui enim bono filiæ hominum nunc educantur? quot amabo Virgines DEO, in Sponſas conſecrantur? quot vitam viri degunt verè cœlibem? quot depoſito Matrimonij iugo Annas, præter Phanuelis illam, DEO inſeruientem, in ieiunijs

& obſecrationibus dabimus? vni certè Adonidi, tot diebus feſtis, plauduntur, etiam à Senioribus, choreæ; vt plures ſeptem, Mulieres & Virgines apprehendant virum vnum. Nòë dies, dies noſtri, & complementum Prophetiarum, quas locuti ſunt ſancti eius! Querebatur olim *cap.* 4. *Oſeæ,* DEVS [Oſeæ 4.]
inter cætera peccata, quoniam inundauerat adulterium, ego dicere ſuperſedeo, hoc ſolùm dicam: veſtiunt nonnullæ tenuiſſimæ fortunæ & ſortis, quàm ſplendidiſſimè, vnde nam? fortè, alius vxorem, alius habet amorem. Noli queri ô bone Propheta! etiam dies noſtri, ſimilantur diebus illis. *Iſaiæ* 3. prædictum eſt: tumultuabitur puer contra ſenem, & [Iſaiæ 3.]
ignobilis contra Nobilem; noſtrâ verò memoriâ, quò nequam deterior, nebulo ſceleratior, tantò audacior dicam an clarior? porrò ſenum reuerentia in pueris & iunioribus, ea eſt, quæ Eliſæi tempore, 4 *Reg.* 2. *cap.* Cùm aſcendiſſet per [4. Reg: 2.]
viam, pueri parui egreſſi ſunt de Ciuitate, & illudebant ei dicentes: aſcende calue, aſcende calue: qui cùm reſpexiſſet, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini, egreſſiq; ſunt duo Vrſi, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros. Pari diſciplinâ, irreuerentes in Clerum, certè digni in diebus noſtris. [Vrſi pueros lacerant Eliſæi Irriſores.]
Non ſolus Iacobus Niſibenus, impudicas vidit ad fontem lauare iuuenculas, cuius precibus, vltor DEVS, caſtigauit petulantes, & canis eſſe iuſſis, puniuit miraculo. [Biderna.] Id quod, Societ: IESV eleganti expreſſit verſiculo quidam:

[Puellæ ſ. irridētes punitæ cautio.]

Puniјt effrontes igitur ſenis ira puellas,
Et ſubitas voto vindice fecit Anûs.

Taceo Acatholicorum blaſphemos cantûs, quorum, non pridem vnus, ab Auguſtiſſimo Imperatore, tam publicè, per eorum domos, quàm priuatim, nuſquam canendus, publico diplomate, eſt fulminatus; deſolationis abominatio, & propè eſſe iudicem, argumentum. [Cantio Germanica contra Papam vetita,] Sed cogitauit Dominus diſſipare murum filiæ Sion, tetendit funiculum eius, non alij bono, ô Ieremia! niſi vt conuertamur, & ſanet nos; quæ

mala senescentem sequantur mundum denunciat, vt nos ab
eius amore, compescat: paratos igitur esse nos conuenit, quia
ignoratio diei, intentam sollicitudinem, suspensæ expectatio-
S. Wolfgangi mira admonitio. nis exagitat. Oranti aliquando ad Sancti Wolfgangi lipsa-
na, Diuo Henrico, ea vox insonuit: in muro vide, sis, & le-
ge. Respiciens murum, reperit scriptum in eo: post sex!
territus inde sanctus, cæpit penitiùs rem considerare, seq; ad
tremendum Iudicem, per mortem, post sex fortè dies futu-
ram, citari ratus, totus quantus conscientiæ scrutandæ, & di-
spositioni ad mortem, incubuit; cumq; sex dies abijssent; in-
cidit ei, ad sex fortasse menses, scripturam pertinere denun-
ciandos, at, nec intra sex menses, rem, suum finem, sortiri
Iacob. de Voragine Episcop⁹ Ianuc. Hist. longob. animaduertens, sex annos, in pœnitentia, & iugi mortis me-
moria consumendos, suscepit. Tandem, primâ die, post sex
illos annos, in timore Dei transactos, Deo propitio, Cæsaris
nomen & omen accepit. Vtinam ita omnes saperemus no-
uissimorum etiam memores, & dies nostros, qui teste *Iobo* 14.
Iob. 14. *cap.* breues sunt, finiendos breui, numerumq; mensium vitæ
nostræ, apud Deum esse, frequenti recoleremus memoriâ;
vtinam absconderent omnes præuaricatores in corde suo Elo-
quia Christi, cum Dauide! & non peccarent ei; cuius, quoni-
am propè est dies, paratos esse conuenit. Timoratus ille
quondam, & Sanctus Vir Tobias Senior, ad Filium suum de
Tob. 14. Niniue Ciuitate, Prophetans dixit: Video, quia iniquitas eius,
finem dabit ei; *cap.* 14. nullum ruituri subitò vniuersi terra-
rum Orbis certiùs indicium, quàm eius accrescens iniquitas!
Nam, vt pulchrè *D. Greg. Hom.* 5. amore præsentis sæculi, nec
præceptis flectimur, nec verberibus emendamur. Nolo Patriæ
bella, per annos iam plurimos illata, nolo annonæ penuriam
proximè immissam, nolo toties pestem grassantem comme-
morare, maior iniquitas, minor emendatio! Robóam, vt al-
leuiaret onera, à subditis NeoRex interpellatus, inter cætera,
3 Reg. 12. hoc etiam respondit: minimus digitus meus grossior est dorso

Patris mei, 3. *Reg.* 12. Auditor! si iniquitas nostri æui, ini-
quitati Patrum nostrorum componeretur & conferretur, pu-
tas grossior esset tantò, quantò minimus digitus Robóami
grossior fuit dorso Patris eius Salomonis? Amabo fratres ca-
rissimi! pœnitentiam agite, ne veniat vobis citò, & nesciatis
horam eius. *Apoc.* 3. ne, inquam, citò veniat Iudex Deus, &
moueat candelabrum vestrum. *Apoc.* 2. Paratos esse nos con- Apoc. 2.
uenit, quia nescimus diem neq; horam. Matt. 25.

DOMINICA II.
ADVENTVS.

Cœpit dicere de Iòanne,
Matthæi 11. *cap.*

AMantissimus Præcursoris sui Dominus, quàm
magnificè tot encomijs illum honorificet,
videat hodie æui nostri Inuidia; quæ non
solùm esse silentissima amat, in dignis &
memorabilibus proximorum factis, sed eti-
am, quod meritò deplores, in vicem enco-
mij, aut conuitia reponit, aut solâ suspicio-
ne inuidorum, malè narrata, pro veris, asse-
uerat. Egredimini mecum in desertum ô detractores, & Ie-
svm de proximo dicentem, etiamnum attendite! Species enim S. Ambr.
vobis datur, forma præscribitur, quàm debeatis æmulari. Di- lib. 5. in
mittite solenne vestrum, quia vt formæ huic est contrarium, Lucam.
ita IESV ingratum, qui hodie, mellitissimè cœpit dicere de
Jóanne. Quod prosequar Ad Dei Gloriam Maiorem.

Vnum erat idioma omnibus. IDem omnibus idioma fuiſſe vſitatum hominibus à diluuio, & linguam eandem è Sacro textu *Geneſ. 11.* colligitur: erat autem terra labij vnius & ſermonum eorundem. Super quæ Lyranus: per terram Homo intelligitur, qui formatus fuit de terra, eſt autem homo labij vnius, quando ſimiliter loquitur de proximo, in præſentia & abſentia eius; & linguæ diuerſæ, quando bona loquitur, in præſentia proximi, & mala, ipſo abſente. O quot bilingues æuum noſtrum numerat! eos puta: qui in præſentia mel, in abſentia verò fel, de proximo enunciāt, prorſus diuersâ, ſed Chriſto dicenti hodie de Ioânne, mirum quantum contrariâ linguâ. Eliam curru igneo, & equis pariter igneis in cælum raptum *4. Reg.* 2. legiſti? quid (4. Reg: 2.) putas ita? cur non potiùs ad magnificentiam latus eſt ab Angelis? Ego cum multis cauſam facti, ex *Eccleſiaſtici* 48. *cap.* elicio; qui cum exiſtimant igneis vectum iugalibus, & curru (Eccl: 48.) igneo non malè, cuius verbum, quaſi facula ardebat, vt analogum virtuti, eſſet prœmium. At at Auditor! quorum verba ſunt dentatæ inſtar ſerræ, & torcularis inſtar famam premit alienam lingua, quo curru? quibus amabo vehendi iugalibus? Angelini Gazæi eſt, quod referam, pium Hilare. Præ- (Dæmon ægrotat.) uaricator ille Angelus, & tenebrarum Princeps orcinus, tempore quodam languebat dolore morbi non contemnendo. Vnde nimiùm anxiùs, ac de ſe, vt primûm, ſanitati reſtituendo, per quàm ſollicitus, omnes viritim ſuos aduocat tenebriones Angelos, medelam vt ſuadeant, morbo tam exitiali, deprecans. Interim (redierat enim ſibi ad memoriam) ſalutare conſilium, ò mea, inquit, pectora vos ſocij! linguas detra- (Ex Conc. Quadrag. Maillardi.) ctorias hominum, ſi adferretis mihi languido, iamq; vi morbi enecto, facilè conſuleretis. Ite porrò Angeli veloces, ad gentem proximis ſuis malitioſè detrahentem, linguas talium, (Dæmon ſanatur per linguas) in cophinos, acribus præciſas cultris congerite; quibus eſis, mox reuiuiſcam. Vix imperata faciunt, linguas detractorum offerunt, ecce tibi! meliùs Orci Princeps, habere cœpit. Au-

ditor,

ditor, detrahentes ſecretò proximo ſuo, oro te, quàm diligen- (Detractorum.) tiſſime commone, culter acutiſſimus, linguis eorum, mox præcidendis imminet, fratris dum famam proſcindunt!

Numerorum, 16. cap. ob murmur in Moyſen, per Dathan & Abiron excitatum, deſcenderunt viui in infernum, nam ape- (Num. 16.) riens terra os ſuum, deuorauit eos. S. Ignatius Martyr, Epiſt. 3. ita de illis: Dathan & Abyron Moyſi reſiſtentes, viui ad inferos depoſiti ſunt. Aliud hæc verba alijs, mihi illud ſignificant, quod videlicet, poſt oneratum populi Ducem verborum iniurijs, terra vltrix deuoratos, in imo, ſi quod eſt, inferni centro defixerit, velut in ventriculo æternùm digerendos ignis perpetui adminiculo. Interim quanti ſunt, qui in ſummos populi Chriſtiani Duces, & venerandos Myſtas, re- (Pſal. 139.) uerendosq; Chriſti Sacerdotes, acuunt linguas ſuas ſicut ſerpentes? quot illos? ſub quorum labijs venenum aſpidum inſanabile? Dilatauit infernus Animam ſuam, & aperuit os ſu- (Iſaiæ 5.) um abſq; vllo termino *Iſaiæ* 5. Porrò quo manuducaris ad proximi tui conſeruandam, cautè loquendo, famam, Chriſtum tibi propono. Victor mortis & inferni Dominus iſte, dùm à Magdalenæ ſeſe retrahit amplexibus, noli me,.ait, tenere & tangere, ſed vade ad fratres meos. *Ioann. 20.* eis meam nunciа Victoriam. *Diuo Chryſoſtomo venit in mentem hom. 2. de Reſurr:* cur ita fatur? Non dixit, dic errantibus, dic fugitiuis, dic latentibus, dic negantibus, ſed dic fratribus meis; appellat fratres, quos nouerat negatores; non dixit IESVS dic errantibus, eſto maximè errauerint, nec fugitiuis, eſto omnes relicto eo fugerint, non, latentibus, eſto ſe occultauerint metu perſecutionis, non denique negantibus, eſto primas eorum ter, cum ſacramento, negauerit. Scis cui bono? exemplum dedit tibi, vt quemadmodùm ille fecit & tu facias, dum loqueris aut dicere cœpiſti de proximo.

Magnum & omni encomio ſuperius eſt quod, *Prouerb. 22.* (Boni nomen pretioſum.) *cap.* de bono Famæ pronunciauit Sapiens: Melius eſt nomen

bonum

bonum quàm diuitiæ multæ. Ego certè audaciam miror detrahentium proximo suo, video enim fures diuitiarum suspendi, ablatores rei nostræ familiaris, tormentis & quæstionibus vrgeri, interim, nomen bonum meliùs est super diuitias multas, quid igitur pœnæ luendum decernemus, illius ablatori? Quid? quòd diuitiarum fures, sæpiùs nobiscum soleant eas partiri, medietatem solùm auferentes, fures autem famæ, tollunt omninò totas diuitias nostras. certè, si quando alibi, hîc illud habere locum æstimo Axioma: Bonum ex integrâ causâ, malum verò ex quouis defectu, tam delicata res est fama. Hinc optimè scripsit ille, qui scripsit.

Fures Famæ alienæ furibꝰ diuitiarũ peiores.

Omnia si perdas, famam seruare memento:
Quâ semel amißâ postea nullus eris!

Premite amabo vos, prurientis, in proximi famam, linguæ, hæc vltima: postea nullus eris. diffamâsti bonæ famæ virum? ô tremendum malum! iam nullus erit. Jam mortuus est, iam ad nihilum redactus, imò occissus tuâ linguâ, & vtinam occisus integrè, præstat enim subinde mori, quàm læsâ famâ viuere. Jam tibi enodabis facilè illam Christi tui apud

Psal. 68. Regem Prophetam lamenti similem querimoniam. *Psal. 68.* dicentis: & super dolorem vulnerum meorum addiderunt. S. Leo *Serm.* 8. de Passione: fixuris clauorum, addiderunt tela linguarum, plus doluit Domino detrahentes sibi audire blas-

Psal. 118. phemos, quàm pati tot vulnerum suorum dolores. Quapropter Auditor deuote IESVM tibi etiamnum illud Psalmi Quinquagesimi dicentem imaginare: Aspice in me, & miserere mei. Uide quanta tuli pro te vulnera, quàm acerba super dolorem vulnerum verba, totus vnum vulnus sum, vt vides, miserere igitur mei, nec me vltrà addas configere, parce, me, in proximo tuo, & fratre meo, iniquâ detractione, affligere, quod, enim vni ex minimis meis detraxisti, mihi detraxisti, Ad Maiorem Dei Gloriam.

DOMI-

DOMINICA III. ADVENTVS.

EGO VOX.

Joannis I. *Cap.*

Conuenienter hodie humillimus Christi Præcursor vocem clamantis in deserto se nominat, vt qui mox nasciturо verbo lætissimum Hymnum cum Angelis adoratoribus occenturus est, euocante ad id obsequij SanctoRegeDauid: cantate Domino, canticum nouum, cantate Domino omnis terra. *Psal. 95.* qui carnem nostram indutus, pacem attulit hominibus bonæ voluntatis. Quatuor sunt autem voces Musicæ, quibus ad ritè cantandum vtimur. Discantus, Altus, Tenor, Bassus. Omnes in Ioanne, quiVox est, reperiemus, eidem nos conformaturi, vt secum pariter, nascituro Domino (ipso propitiante) canamus. Quod fit. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Psal. 95.

Prima Vox DISCANTVS.

ETymologia huius vocis Discantus, est quasi Dux aliquis cantûs. Præcursor Christi D. Ioannes erat etiam dux cantûs, illius puta. Parate viam Domini, rectas facite semitas eius, ego enim sum vox clamantis in deserto sæculi senescentis, parate viam Domini mox, aduenturi. Auditor condiscamus ab eo vocem hanc, possumus enim & nos cantare, & ad præparandum Domino cor mundum, in virtutum concentu, quonihil est suauius, exercere. sic vtique gratâ voce canemus, si opera nostra legi Dei conformiter conuenienterq; sonuerint, ità, vt admitti olim, ad Chorum Seraphicum, clamantium adinuicem,

inuicem, vt habet Propheta *Isaiæ 6. cap.* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, ipso miserante, possimus. Innatum hæc Discanti voce canere maximè iuuenculis, pueris, Virginibusq; est, voce gratissimâ æquè ac tenerâ occinentibus; o quàm exactè vocem hanc teneram Præcursor Christi Domino suo cecinit! quia Angelicus, castissimus, omni purior vndâ, ipso teste Saluatore: Ecce ego mitto Angelum meum, qui, cùm esse naturâ non accepit Angelus, Angeli nomen & omen, Virginitatis priuilegio & vitæ innocentia, assecutus est. Auditor, vita tua vox est, opera tua cantûs sunt, vt viuis, ita cantas, ita Psallens audiris in conspectu Dei & Angelorum: Si ergo cupis vocem canere Angelicam, Ioannis castissimi imitare innocentiam, constituens te & custodiens in gratia Dei, quam sonat Ioannes: ita certè vox vitæ tuæ accepta erit coram Domino. De pellaci atq; etiamnum, fallaci Sirenum cantu legimus, sopiri subinde incautos, tandemque profundo immergi pelago. Audi me; quidquid innocentiæ, quidquid gratiæ Diuinæ, mundus & concupiscentiæ eius, vt Sirenes, occinunt contrarium, tu, cum Vlysse illo cautior tot submersorum exemplo factus, surdâ pertransi aure, non cerâ liquenti, at Iesu timore sepi illam, nam iste fomes peccati libidinum, & pellex Animarum cantus, non est Dux sancti sed Diabolici cantûs, nec Christo, sed Antichristo, cantu concinitur isto.

Discantus vox puerilis.

Sirenes cãtu sopiunt.

Altera Vox ALTVS.

VOcis istius nomen, siue excelsam, siue profundam vocem interpretari potes. Considera Sanctissimi Præcursoris vitam; excelsus ille super omnes filios mulierum erat, interim & humillimus erat: voce sese compellat, qui nomen Angeli participat, & voce quid leuius? voce quid subtilius? certè Altum cecinit, Ioànnis tam honorata Humilitas! De nasciturі Domini aduentu sacer textus *Luc: 3.* omnis collis humiliabitur, deponet enim potentes de sede, & exaltabit humiles, *Luc: 2.* Auditor, suadeo tibi Altum canere, profundam

Luc: 3.

nempè humilitatem amplecti tui vilipensionem, (ita enim & exaltari & prædestinari; Drexelius, in suo Zodiaco docet Christianos,) amare. Altus, siue vox Alti naturalis, nonnisi quibus vox attemperata specialiter obuenire solet, ità vt facillimè dignoscas, si voce artificiali ab aliquo canatur. Noluit D. Ioànnes pseudoaltistam agere; nam oblato sibi Messiæ titulo, minimè captus est, confessus est enim, & non negauit, & confessus est, quia non sum ego Christus. Auditor quot sunt? qui quales verè non sunt, haberi tamen omninò volunt, imò contendunt, Pharisaicum illud occinentes sibimetipsis: non sum sicut cœteri hominum, *Luc: 13. cap.* Interea vox eorum, Altus eorum commentitius, in aures Domini Sabbaoth non admittitur, cuius solenne est, superbis, ambitiosis, & sui amatoribus resistere. PseudoAltistam egit quondam contra Angelicam naturam, in supremo choro, dum cecinit Lucifer, dicens: ascendam, similis ero Altissimo, sedebo *Isaiæ 14. cap.* præcipitatus est. cui bono? vt disceret Altum, etiam profundum significare; illic tandem benè, infelix De profundis, cœpit occinere.

Drexel. ii. Z. d: prædest. Symb. 8.

Lucifer, Pseudo-Altista.

Tertia Vox, dicta TENOR.

ATenendo vocamus Tenorem; hæc enim aliarum vocum tonum sustinet, vi suâ eundem quasi fulciendo. Nihil est quod magis præ timore Domini vitæ nostræ ordinem, iuxta legem Domini, in suo contineat esse & perfectione. Hinc illæ Regis Prophetæ, tot admonitiones: Timete Dominum omnes Sancti eius, quoniam non est inopia timentibus eum, *Psal: 33.* & beati omnes, qui timent Dominum, *Psal: 127.* Auditor! optimus Tenorista, bonus vocis huius Cantor, qui timoratus, & timens Dominum. Vnde bonus? vnde beatus, Timenti Dominum, *Ecclesiastici 1. cap.* bene erit in extremis: cùm veneris ad finale, (vt vocant Musici) ad finem, puta vitæ tuæ extremum; Timor Domini solabitur te mirum quantum, ille inquam Timor, quo ab illicitis affectibus detentus es, qui

Psal: 33. Psal: 127.

te à noxijs Animæ vitijs retraxit, ab offenſa DEI ſummi boni, in periculo, quod, ſi amaſſes, in illo perieras, abſtinere fecit. Tenoriſtam ita perfectum audire vis? Ioannes eſt nomen eius, vox autem illius ea eſt: non ſum ego Chriſtus, neq; Elias: ego Vox. Semper in gratia DEI ſeſe continens, nec à tono virtutum diſcedens vel minimùm. Similem huic *D. Lucas, cap. 2.* ſeniculum commemorat Simeonem, virum Iuſtum & timoratum. Quid porrò Muſici? Tenoriſta optimus fuit: venit enim ad finale vitæ extremum, ſed fortiſſi-
Luc. 2. mè cecinit ſuum cœptum cantum: Nunc dimittis ſeruum tuum Domine, ſecundùm verbum tuum in pace. An hoc
Eccl: 15. eſt, quia qui timet DEVM, faciet bona: *Eccleſiaſtici 15. cap.* Auditor deuotè? Tenorem iſtum, timorem Domini mordicùs apprehende, qui ita canit, beâtus erit.

Quarta Vox, dicta BASSVS.

MVſicis Baſſus, ſiue paſſus, eò quòd hæc Vox ſit paſſa, groſſa aut craſſa, expanſa, latè enim procedit, ſonat emphaticè. Mihi verò vox craſſa, Amor DEI eſto, ſuper omnia? Nihil æquè in omni vita ſancti Præcurſoris Domini eluxit, atq; Amor DEI ſuper omnia; vt enim Sancta Mater Eccleſia cecinit:

Breuiar. Roman.

Antra deſerti teneris ſub annis,
Ciuium turbas fugiens petiuit:
Ne leui ſaltem maculare vitam,
Famine poſſet.

Amantis hoc eſt ſuper omnia, quod fecit; tam enim ardenti amore DEVM dilexit, vt ne verbo quidem etiam leuiſſimo offenderit. Auditor! inardeſce tali exemplo, & ſancti ardoris canticum nouum, amorem nouum imbibe: hoc canticum nouum millies occine, DEVS meus & omnia, amor meus, amo te ſuper omnia. Vox iſta Baſſus octaua, (vt vocant Muſici) frequentes admittit. Philoſophis maximas rerum exprimendi modus vſitatiſſimus eſt, vt octo; calidus vt octo, frigi-

10

frigidus, ſiccus vt octo. Maximus omnium Actuum Amoris DEI, Amare eum ſuper omnia, amare vt octo, id quod Diuus Ioànnes impleuit, qui ipſa gratia DEI fuit. Vtinam ignem ſui Amoris accenderet, in cordibus noſtris naſciturus IESVS, cui canticum nouum, amorem nouum debemus. Baſſus, plerumq; à maturioribus naturali voce, non affectatâ canitur. Auditor, quo ſeniores, tanto DEI amantiores eſſe deberemus, exemplo hodierni Baſſiſtæ D. Ioànnis, qui teneris annis in deſerto latitat, procedentibus dein IESVM, & pœnitentiam prædicat: tandem ſenior, IESV causâ, patitur. Non deficiamus igitur in tam dulci cantu amoris, immoriamur Chriſto dilecto, vt nobis det pretium cantûs in æterna gloria.

Baſſus, eſt vox ſenum.

Elias es tu? *Joannis 1. cap.*

OPinati ſunt Iudæi Præcurſorem Aduentûs, primi Seruatoris noſtri eſſe Eliam, qui futurus eſt præcurſor Aduentûs ſecundi. Nec illud de aduentu eius datum à Chriſto reſponſum, *Matth: 17. cap.* vacat myſterio: Elias iam venit, & non cognouerunt eum, &, ſi vultis ſcire, Ioànnes ipſe eſt Elias. Matt. 17.
S. Pater Gregorius, Hom: 7. hanc quæſtionem, ita diluit & concordat dicens: non erat Elias in perſona, ſed erat Elias in ſpiritu, quod ergo Dominus fatetur de Spiritu, hoc Ioànnes denegat de perſona. Dicam & ego hodie vnum mirabile, multi, cùm non ſint in perſona Eliæ, nec ſunt in Spiritu, eſto id affectent & præſeferant. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Elias es tu? *Joannis 1. cap.*

1. Eliæ Prophetæ SS. Corui miniſtrant.

IVſſus eſt Elias ire ad torrentem Carith, tempore famis futuræ per Dominum, coruis præcepi vt paſcant te ibi, *3. Reg.* 3. Reg.
17. cap. Et deferebant diebus omnibus annonam Eliæ carnes 17.

&

& panes*. *Abulensis, quæst. 19. in illud caput.* Quia DEVS* inducturus erat magnam famem super terram, in qua vix haberent homines quod comederent, & multi fame perirent, DEVS autem noluit, quod Propheta suus pateretur istam pœnam cum peccatoribus*. Sunt multi Auditor, quos Corui Orcini pascunt, & ditant, eis ministrando temporalia, sed non iussu diuino, quales ij maximè esse deprehenduntur, qui nescio quibus vtuntur artibus & ope Dæmonis & Spiritûs, vt vocant, familiaris*. At ô bonæ Animæ, rem tam detestabilem amore IESV deserite, Dæmon enim & Coruus iste teterrimus, qui vobis, Eliano, vt putatis, more, ministrat, olim acerrimè torquebit. Nouimus similes alites longè à Coruis Elianis, abesse longè à Paulinis, Menradi, Venerij, Petri Canisij, quibus in spiritu, tantum quantum Eliam imitantibus, præcepit Dominus, vt ministrarent Corui, & aues cæteræ. Iosepho Anchietæ nauiganti, faciunt vmbraculum.

Corui Orcini Dæmones.

Eliam carnibus Paulum panibus alit, & Veneriũ Coruus, sed Canisium Turdus.

2. Elias, Farinam & Oleum miraculo augmentat.

MIsericordem Eliam, in Viduam pauperem multi præsefcrunt, sed misericordes non sunt, quia spiritu miserationis carent. Opprimitur pauper, Vidua, angustiatur, fame perit pupillus, & tamen Misericors vel Clemens, vocatur fundi Dominus*. Ecce nec in persona Elias, nec in spiritu, solo nomine, solo titulo. Non facit monitum *Danielis* conscientiam, *13. cap.* redime eleemosynis peccata tua, & scelera tua misericordijs tuis pauperum, ijs, qui deuorant plebem Domini, tanquam escam panis*. *Psal. 13.* Tales Eliæ, turbabuntur à facie eius, qui locutus est per os suum: Estote misericordes*, *Luc. 6.* opes eorum verò iniustæ, & facci pleni tributis pauperum à Dæmonibus insidentur, vti vidit Sanctus Eduardus Rex Angliæ, & restitui iussit.

Psal. 13. Psal. 67 Alredus Abbas, in vit. eius.

3. Elias,

3. Elias, sub Iunipero dormit.

MVlti Eliam in eo referunt, quòd tribulationes & persecutionem fugiant, sed spiritu Eliæ carent, quia sub vmbram Iuniperij, quæ Crux est Christi, non secedunt, nec ibi quietem, per patientiam inquirunt, esto ex illa loquatur pendulus: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos, *Matth. 11.* Elias sub Iunipero dormiens*, Angeli solatium accepit, Crucis suæ & Passionis socios, Dominus Angelorum, gloriæ & consolationis fore socios, per Apostolum pronunciat. Quid ergo fugitiui Eliæ, non indormitis huic Sanctæ Iunipero? quia Spiritum eius, qui dicat cum lignis Libani, *Iudic. 9. cap.* impera nobis, non habetis*.

Matt. 11. Iudic. 9.

4. Elias, Regem Achab, iussu DEI arguit.

AN tales multi Pseudoprophetæ, muti canes, non valentes latrare, mercenarij, adulatores? nomen habent, sed re carent. Elias confidenter dicebat, occidisti insuper & possedisti, pro Vinea scilicet Naboth; rapitur panis Christi, diripitur Vinea, Elias falsus obmutuit.

5. Elias, Miraculo Aquas Pallio diuidit.

MVlti Idiotæ, Hæretici, instar Eliæ miracula iactant, quæ nunquam operati sunt, nec enim extra Ecclesiam Sanctam Catholicam & Apostolicam, vera dari miracula possunt: nisi fortè Lutherus in exorcizando obsesso olim miraculum, quod etiamnum, velut malus Christi odor, toto fætet orbe, fecerit? aut duplex Eliæ brachio eius insederit Spiritus, canis Orcini specie, Magnum Imperatorem obstupefaciens*?

Drexel. in palæstr. Christiã. Maximil. I. Imper.

6. Elias, Aduentûs Secundi Præcursor.

QVid aget porrò? prædicabit pœnitentiam vt Ioannes*, vt conuertantur peccatores*. Heus auditor, suntnè Eliæ vocan-

vocandi, qui nec ipsi fugiunt cum dilectis Domini à facie arcûs, nec fugere monent cæteros? quàm minimè. Proinde, non inane nomen Eliæ, qui Deo placuit, sed Spiritum nobis, cum eius discipulo, expetamus, quod, eius sanctissimam vitam imitando, in præceptis Dei seruandis & voluntate facienda, impetrabimus longè faciliùs. Ad Maiorem Dei Gloriam.

DOMINICA IV. ADVENTVS.

Parate viam Domini, *Luc. 3. cap.*

Gen. 24. INternuncius Eliezer ab Abrahamo, ad desponsandam Filio eius Isaäc, puellam Rebeccam olim missus est. Hodie ad Animam peccatoris Christo desponsandam, fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes, iuxta
Osee, 2. illud Prophetæ, *Osee 2.* Desponsabo te mihi in fide. Quid enim Anima peccatoris, nisi via Saluatoris? id quod Sancta fatetur Ecclesia:

in Prosa Defunct. *Recordare JESV piè,*
Quòd sim causa tuæ viæ.

Huic proinde velut Sponsæ, inclamatur à Præcursore Sponsi, para viam, apta mansionem, munda conscientiam, vt Oriens ex alto, visitet te Dominus in visceribus misericor-

diæ

diæ suæ. *Luc. 1.* Fiet autem quod loquimur. ô peccator, si Luc. 1.
anima filia tua, decora virtutibus, diues bonis operibus mox nascituro dilecto velut Sponso occurrerit; de quo ad Maiorem Dei Gloriam.

COnspexerant quondam custodes cælorum, illam ex canticis quo nescio capessentem viam, cùm dicerent: Quæ est ista quæ progreditur, quasi Aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Cant. 6.
Cant. 6. Exquisitissima forma, apparatus incomparabilis, quis eum imitetur? quis verò exæquet? de vltimis finibus pretium Animæ similis, quæ Auroræ lucem, Lunæ pulchritudinem, Solis adumbret serenitatem, & castrorum exprimat ordinatissimam aciem, hosti formidabilem. At! ne animis concide. Si mons esse non potes saltem fies collis: sol esse non potes? Luna esse nec Aurora præsumis? eorum saltem æmulare pro virili tua, lumina, quod facies accensâ in te lucernâ, Solis Iustitiæ Christi, per verbum scilicet eius, de quo Rex Dauid, *Psal. 118.* Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen se- Psal. 118.
mitis tuis, hoc suadeo tibi abscondere in corde tuo, vt non pecces ei, nec ambules in tenebris, sequendo Christum in omnibus operibus tuis, ita fugabis gemebundos etiam hostes. Fac ô Homo finem nocti, in qua laborasti vsq; hodie, diem vitæ nouæ inchôa, sic aliquando fies Aurora; fœlix enim hora, in qua abiectis operibus tenebrarum, indueris arma lucis, vt honestè ambules, tanquam in die Sponsi tui. *Rom. 13. cap.* Videant opera tua bona, mendicus largita- Rom. 13.
tem in Eleëmosyna, pauper misericordiæ viscera, pupillus tutelam, sic lumen Dei partieris in astra minora, at cælestibus longè clariùs micantia, quia in minimos Christi & membra. Solem facilè æmulari est, terrena despice, Spheram mundi, aut eius potiùs vanitates conculca, vt Sol, illæsus per cænum, sordibus scatens & lutum, tu per noxia clausis oculis, maximè verò, clausis animæ, transi affectibus. Sed ad Rebeccam

redeo

redeo Isaäci Sponsam. Eliezer, vt vidit ad fontem filias Mesopotaniæ, tales ad DEVM preces fudit. *Genes.* 24. *cap.* Domine DEVS Domini mei Abraham, occurre obsecro mihi hodie, & fac misericordiam cum Domino meo Abraham; ecce ego sto propè fontem aquæ, & filiæ habitatorum huius Ciuitatis, egredientur ad hauriendam aquam, igitur puella cui ego dixero, inclina hydriam tuam vt bibam, & illa respondcrit, bibe, quin & Camellis tuis dabo potum, ipsa est quam præparâsti seruo tuo Isaäc, & per hoc intelligam, quòd feceris misericordiam cum Domino meo. Glossa Angelica illud: ipsa est quam præparâsti; exponit: Talis Anima futura est Sponsa Christi, quæ plus facit pro DEO, quàm obligetur. Non æmuletur proinde eos, qui IESVM expectat sibi nasciturum, & Animam illi præparat, qui pro Natali eius, nec peccata sua confitentur, nec sacræ accumbunt mensæ, in sumenda altaris communione, prætendentes, id non præcipi sub peccato: nec eos, qui sacræ huius Natiuitatis officio adesse negligunt, dicendo: sufficit, & satisfit præcepto Ecclesiæ vnâ Missa auditâ, talis anima futura est Sponsa Christi, quæ plus facit pro DEO, quàm obligetur. Nec illud prætereundum duxi Auditor deuote, quòd cucurrerit puella, iam arrhis donata ab internuncio, significans in domo Patris omnia, cuius narratione, frater eius ductus, egreditur, Eliezerum salutat, & inuitat dicens: Ingredere benedicte Domini, cur foris stas? præparaui domum Camellis tuis, & introduxit eum in hospitium, *Genes.* 24. Idem facit Anima, desiderio flagrans Sponsi sui, dum enim se per eius absentiam, ad eius exercet per virtutem in cor introductionem, dulcedine quâdam, quasi arrhis præsentiæ Diuinæ, infunditur; vnde & frater eius sensus exterior, subditur Spiritui, quasi etiam gratum inuitans hospitem in domum Animæ. Dicant proinde omnes sensûs nostri, dicat omnis affectio: ingredere Benedicte Domini! ô JESV, cor nostrum patet ad te, tibi illud offerimus, esto

Gen. 24. Glossa Angelica. Gen. 24.

minùs

minùs præparatum, tu illud laua, & munda ampliùs ab omni iniquitate, noli vltrà stare foris, sed te nobis communica, desponsa nos tibi in omni virtute, vt dignum simus tibi templum, & mansio. Dicamus ei cum gaudio: En Rebecca coram te est, tolle eam, en anima nostra, quam creâsti, in manu tua est, Sponsa tua pridem effecta est, tolle eam, & sanctifica; vt tecum sit in æternum.

A M E N.

DOMINICA VACANTE, IN NATALI DOMINI.

Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur Vniuersus Orbis. *Lucæ 2. cap.*

QVid est, quod nascituro Domino, mundus describitur, nisi hoc quod apertè monstratur, quia ille apparebat in carne, qui Electos suos adscriberet in æternitate? ita quærit, & ipse sibi respondet, *S. Greg. Homil.* 8. Alias, alij huius descriptionis causas dederunt, maximè verò apud Antonium Escobar Strabus duas. Vnam: vt numerum sciret populi totius Cæsar; Alteram: vt quantus colligi

S. Greg. Hom. 8.

possit

possent exercitus innotescerent. Sed vnde, vnde Cæsar terrestris mundum describit vniuersum, electos tuos Rex pacifice IESV adscribis, an potiùs conscribis æternitati! noua bella
Iudic. 5. elegit Dominus, *Iudic.* 5. nouos & Electos milites conscribit
S. Fulgent. Serm. 1. de Epiph. natus Rex, qui non venit, *cum S. Fulgentio, Serm. 1. de Epiph. loquor,* Reges pugnando superare, sed moriendo mirabiliter subiugare. Hunc nouum igitur conscriptorem IESVM, de tenebris & vmbra mortis accedant, & illuminentur, qui noua bella secuti, Christoq; militantes cum Electis, aptant adscribi felicissimæ quondam æternitati. Quod Ad Maiorem Dei Gloriam.

Vt describeretur Vniuersus Orbis, *Luc. 2. c.*

HAbent illud comprimis legitimi Conscriptores, quòd Cæsarum & Regum suæ missionis diplomata libertatemque ostendant. Magnificatus est hodie Rex pacificus, & Princeps pacis, missus à Patre æterno Filius Dei vnigenitus, ille qui in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,
Ioan. 1. & Deus erat Verbum, nunc Caro factum est, vt Electos suos adscriberet in æternitate, eos puta, qui legitimè certantes in
Matth. 5. carne positi, mercedem laboris possessuri sunt, regnum sibi paratum à constitutione mundi. Ille inquam Conscriptor
Luc. 19. Electorum, qui venit quærere, & saluum facere, quod perie-
Matt. 11. rat, cui omnia tradita sunt à Patre, & omnis potestas data est ei in cælo & in terra, qui etiam nouit qui eius sunt, nouit
Matt. 18. qui permaneant ad Coronam, qui permaneant ad flammam, vt loquitur *S. August. tractat. 12. in Ioan.* Quapropter ô peccator, (*cum S. Gregorio Nanzian: loquor,*) venerare descriptionem, (mihi conscriptio est) per quam efficitur, vt ipse scribaris in cælis, cum Electis puta, quos adscribit æternitati.

Conscriptores tympana circumferunt vocalia, quibus multitudinem accersant popularem, annunciantes militiæ conditionem & pretium, vt cuicunq; sederit animo det nomen, & in suam transeat societatem. Mitissimus Agnus, & Rex noster

ster Christus, qui loquitur sine strepitu verborum, in solitudinem ducens animas, vt ibi loquatur eis ad cor, *Oseæ, 2. cap.* Oseæ 2.
nec tympana, nec præcones habet alios, nisi vocem clamantis in deserto, parate viam Domini. *Luc. 4.* rectas facite semitas eius, vt more Patrum SS. desiderantium eius aduentum, *Isaiæ 45. cap.* dicentiumq; : Rorate cæli desuper, & nubes Matt. 25.
pluant Iustum, exeamus obuiam ei, tanquam Sponso procesPsal. 44.
suro de vteri thalamo Virginalis. Tympana erant Prophetarum eius voces, vti *Hieremiæ 23. cap.* Ecce Dominus veniet, & saluabitur Iuda. *Isaiæ, 1. cap.* Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & videbit omnis caro salutare Dei. Personat etiamnum hodie vox Angelica, natus est vobis Saluator, qui est Christus Dominus. Nemo ab huius alacritatis participatione secernitur, vna cunctis lætitiæ communis est ratio, ait *D. Leo Serm. 1. de Natiuitate Christi.* Exultet (igitur) san- S. Leo,
ctus, quia appropinquat ad palmam, gaudeat peccator, quia Serm. 1.
inuitatur ad veniam, animetur gentilis, quia vocatur ad vitam. Date nomina vestra, date peccatores, vt scribantur in cælo, adscribantur Electis? Conscriptores, fora adeunt publica Ciuitatum & Vrbium mercatûs & nundinarum, proijcientes numismata & pecunias, & Monetam, potum quoq; circumferunt inclinantes ex hoc in illud, alliciendi venales Animas Psal. 74.
gratiâ. Natus hodie Saluator, & Animarum Conscriptor Electorumq;, primùm quidem Castellum vteri Virginalis ingreditur, vt cecinit Sedulius:

Secreta quæ non nouerat,
Venter puellæ baiulat.

Vbi caro factus, prodiens, quia sui eum, *vt ait Ioannes,* non Ioan. 1.
receperunt, foris Oppidum, eligit pro Vrbe stabulum, pro Ciuibus, vt canit Ecclesia, bouem & asinum, ibiq; ô conscriptorem fælicem! Magos adoratores, *Matth. 2.* cum pastoribus primis sui salutatoribus, adscribit æternitati. Nec immeritò Dei Filius, inter iumenta hominem quæsiuit, qui peccati

 mole

mole grauatus, vt iumentum factus est apud eum, *Psal. 71.*
& cùm in honore esset non intelligens, comparatus est iu-
Psal. 48. mentis insipientibus, & similis factus est illis. *Psal. 48.* Venit
porrò IESVS in Bethleem velut ad mercatum, vel fori publi-
cum diem, ibant enim omnes, vt profiterentur in Ciuitatem
suam, venit in domum panis, panis verus qui de cælo descen-
S. Gregor. Hom. 8. dit, quia vt loquitur *D. Gregorius, Homil. 8.* futurum profectò
erat, vt ibi per materiam carnis appareret, qui Electorum
mentes internâ satietate reficeret. Illic & nouus Adam
nasci voluit in domo panis, ne vetus Adam vltrà vesceretur
Genes. 3. pane in sudore vultûs, *Genes. 3.* in Ciuitatem venit, qui su-
pernæ Ciuitatis est lucerna indeficiens. At quid ita paucos
Christus conscripsit? fortè DEVS pauper propter nos factus,
pretium nullum, æs, nullum iactauit? Offerebat quidem Chri-
stus veras diuitias Paupertatem, sed diuitijs vanis apposuerunt
Psal. 61. cor. *Psal. 61.* Omnes viri diuitiarum, non aduertentes, ni-
Psal. 75. hil sese olim inuenturos in manibus suis, *Psal. 75.* noluc-
runtq; sibi thesaurizare thesaurum in cælo, *Matth. 6.* diffisi
sunt IESV assecuranti, quia centuplum accipient & vitam
Matt. 9. æternam possidebunt, *Matth. 9.* Durus erat eis hic sermo, quo-
modo essent egentes, multos autem (vt ait Apostolus) locu-
pletantes. 2. *Corinth. 6.*

Forte an potu dulciore Rex natus caruit? imò seruauit
bonum vinum id est, teste Augustino, Euangelium suum. Sed
eloquia eius esto dulciora super mel & fauum. *Psal. 18.* Fellis
instar & absynthij visa sunt, atq; ideò etiam præuaricantes
reputandi sunt, quia iniusta cogitatio eorum, *Psal. 118.* Ve-
nit enim diues in omnes, qui inuocant illum. *Rom. 10.* Con-
scriptores re infectâ discessuri, fortissimè tympana pulsari cu-
rant, & concurrentibus, cum minis annunciant fore, vt li-
benti animo, si liceret tum, quod nunc respuunt accipere
pretium, essent daturi, violenter rapti, Militiæ nomen.

An idem natus hodie Saluator? idem omninò & minatur,
& pro-

& protestatur dicens, *Prouer. 1. cap.* vocaui & renuistis, ego Prou. 1.
quoq; in interitu vestro ridebo & subsannabo, cum vobis id
quod timebatis aduenerit. Ego enim Sapientia Patris fo-
ris, quia Homo factus, vobis similis prædico, in stabulo
etiamnum do vocem meam, vsquequo fratres mei diligitis
infantiam, postquam ego vestri amore, infans factus sum
paruulus, nolite concupiscere noxia, sed conuertimini ad
cor. En ego vobis æternæ vitæ promitto stipendia, mihi Psal. 84.
militate qui sum vita, ô mortales & vita vestra militia est su-
per terram, & dies eius sicut mercenarij, *Job. 5. cap.* Idem Iob, 5.
fecisse illum leges, *Matth. 11. cap.* quando cœpit exprobrare
Ciuitatibus, in quibus (velut tympana sonantia,) factæ sunt
plurimæ virtutes eius, quia non egissent pœnitentiam: Væ
tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone,
factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio
& cinere pœnitentiam egissent. Verum tamen dico vobis,
Tyro & Sidoni remissiùs erit in die iudicij, quàm vobis. O
fratres carissimi, amplectamur beatum diem, quo nobis natus
Saluator offert stipendia regni cælorum, adscribamur luben- Ephes. 6.
tes militiæ eius, capientes galeam fidei, & gladium Iustitiæ,
& stemus contra ignita inimici tela, ipso nixi fragiles & lu-
tei milites, qui hodie propter nos Homo factus est. Exere
vires ô Christiane fortiter dimica, atrociter in prælio isto con-
certa, considera pactum, conditionem attende, militiam no-
sce; pactum quod spopondisti, conditionem quàm accessi-
sti, militiam cui nomen dedisti. *S. Chrysostomus tom. 1. Serm.* S. Chrys.
de Martyribus. Aduerte recens tyro militiæ IESV, quid te tomo 1.
velit facere, nil certè nisi vt non pecces ei. Ad Maiorem serm. de Martyr.
Dei Gloriam.

Et vidimus gloriam eius, *Joan. 1. cap.*

POtentissimus Regum Israel Salomon, suscepto Regni de
manu Patris Dauid gubernaculo, fecit thronum de ebore
grandem, & vestiuit eum auro fuluo nimis, qui habebat sex
D 3 gradus

gradus, & Leones duodecim, ſtabant in gradibus. 3. *Reg.* 10. *cap.* Adijcit porrò ſacer textus: non fuit tale ſolium in vniuerſis Regnis, &, epiphonematis loco: Magnificatus eſt ergo Rex Salomon, ſuper omnes Reges terræ, & vniuerſa terra deſiderabat videre faciem Salomonis, 2. *Paral.* 9. *cap.* Iiſdem prorſus verbis hodie Chriſto Encomium conſtruit Sãcta, Mater Eccleſia canẽs. Rex pacificus magnificatus eſt, cuius vultum deſiderat vniuerſa terra, magnificatus eſt Rex pacificus ſuper omnes Reges vniuerſæ terræ.

Breuiar. Roman.

Sed in quo tandem magnificatus hodie, in quo glorioſus apparuiſti, IESV paruule? ne ſtramen quidem tibi eſt pro ebore, & magnificatus es? vbi aurum fuluum nimis, quo cunas irradies ô pluſquam Salomon Rex pauperrime? vbi adſtantes præ ſolio Leones. Bouem video & Aſinum. Hi ſunt diuitiæ & familia vniuerſa. Poteſt hodie dicere CHRISTVS, quod olim Seuerus Imperator in extremis: Heri omnia fui, hodie nihil ſum, heri fui æqualis Patri in Maieſtate, hodie factus ſum minor in humanitate, heri me cæli capere non poterant, hodie anguſta capiunt incunabula, heri DEVS, hodie ſeruus, heri Rex Angelorum, hodie frater Hominum. Verum enim verò glorioſe magnificatus eſt Rex natus hodie, ſuper omnes Reges vniuerſæ terræ, in aſſumpta carne, in qua debuit per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret. Dicam de hoc ad eius Maiorem Gloriam.

Chriſti Nati magnificentia.

Hebr. 2.

IN deſcriptione Regni eiuſdem Salomonis, fatur ſponſa: En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt, ex fortiſſimis Jſraël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi. Carolum Magnum ſolio Maieſtatis ſuæ cuſtodiendo 120. fertur præfeciſſe excubitores. Primâ noctis vigilia excubabant 40. ad caput decem, totidem ad pedes, ad latera verò etiam totidem, dextrâ gladios ancipites, ardentes læuâ faces tenendo. Pretioſiſſimus cæli Adamas, fratribus aſſimilari voluit CHRISTVS, Fæno iacere pertulit. O Homo! agnoſce Saluatoris

Hiſtor. Lõgobar.

ris

ris miſericordiam! non eſt Aſueri ſimilis Rex tuus, quia magis illo frater, cum fiducia ad thronum gratiæ accede. Vt miſericors fieret:

Vagit infans inter arcta
Conditus præſepia!

Hinc Religioſus aliquis Ciſtercienſis in Brabantia, vidit eundem in ſpecie nudi infantuli intra Niues trementem, præ frigore & eiulantem, qui cauſam fletûs à Religioſo rogatus reddidit: Heu me! heu me! quare non flerem, quare non eiularem? ecce vides, quòd egens in frigore ſedeo, & non eſt, qui calefaciat me. Calefieri petit à te frater tuus ô Homo! non alio igne, niſi quem venit mittere in terras, nec aliud vult, niſi vt accendatur: aſſimilari voluit nobis, vt miſericors fieret, & miſericordiam vult non ſacrificium, nudum igitur pro Chriſto operi, quod capiti impenſum velles, eius membris impende, hoc deflet IESVS lachrymis ſuis contendens immiſericordes mouere. Deuotus quidam Societatis IESV, Chriſtum die Natali Anniuerſario querentem, ita introducit:

Cantipr. lib. 2. Apum cap. 1.

Matt. 9.

Jn ſtipula ſectoq́, puer, dum vagio culmo
Me colit obnixo, ruſtica turba genu.
Et lachrymas, & vota meis dicat impigra cunis,
Jnq́, humiles offert mulcta coloſtra dapes.
Stellata toties ego iam tono Maior ab Aula,
Maioremq́, colit, me tamen illa minùs.
Et neq́, blanda, trahunt ingratam munera plebem,
Contemnitq́, graues impia terra minas!
Jngenio cogam! ſi non niſi parua coluntur,
Ad ſtipulas infans ſæpè, redibo meas!

I. Biderm. lib. 1. Epigr.

Noli amabo te IESV, noli ſic: ſatis ſuperq; nouimus, ideò te voluiſſe nobis apparere ſimilem, vt ſciremus miſericordem, ſi non timeris tonans ſuper nos in cœlis, minùs timeberis iteratò flens in cunis! oblitus eſt Homo benefactoris ſui, cuius

gratiâ

gratiâ in terris viſus es, & cum hominibus conuerſatus es*,
Baruch. cap. 3. Factus HOMO. Dignum memoriâ, quondam argumentum
Judas Frater Ioſeph venditi inuenerat, volens eum de Fra-
Gen. 37. trum manibus ereptum, dicens: frater enim & caro noſtra
eſt. Vtinam idem ego hodie, perſuadere omnibus, nondum
peccandi deſideria omninò deponentibus, poſſem, vtinam
ipſi ſibi dicerent identidem, quid adhuc peccabimus? ecce
Chriſtus Frater noſter, & caro eſt!

Eodem *ferè* & Abraham, vſus quondam *fuit* apud Loth,
ob iurgia & rixas *familiæ* argumento: ne quæſo ſit iurgium
inter me & te, inter Paſtores meos, & Paſtores tuos, Fratres
enim ſumus. *Geneſ. cap. 13.*

Auditor mihi & tibi loquentem ſentio hodie CHRISTVM
natum, non ſit offenſa, non iræ locus, nec ſiniſtri occaſio
affectûs, inter me & vos, fratres enim ſumus, omnem am-
pliùs peccandi voluntatem abijcite, quid enim magis pecca-
to, iram DEI ciet? qui hodie Factus HOMO, Frater & caro
noſtra eſt! quid corde prono ad malum plus vindictæ ciet?
Jn magnificentiſſimo Dauid, cuius fortiſſimos recenſet ſcriptu-
ra, illud mihi mirum etiamnum venit, cur potiùs in cathedra
quàm ſolio dicatur reſidens eminentiſſimo? *2. Reg. 23.* ſic lego:
Dauid ipſe eſt Rex ſapientiſſimus, ſedens ſuper cathedram.
Verùm, non in ſolio Regem ſed in cathedra collocat, vt do-
centem oſtendat. Rex Regum & Dominus Dominationum,
ſapientia æterna CHRISTVS, in præſepio velut in Cathedra
docet paupertatem ſpiritûs, Humilitatem, Manſuetudinem,
aſſimilatur *fratribus* per omnia vt fiat miſericors*.

Magno ſuo Amico DEVS *Gen: 15. cap.* noli timere Abra-
ham, ego protector tuus. *Hæbrea:* ego clypeus tuus*. O quanta
CHRISTO gloria & aſſimilari *fratribus* & eorundem fieri pro-
tectorem ac clypeum! Quatuor olim triumphatos Reges Se-
ſoſtres Ægypti Rex currui ſuo junxiſſe ad magnificentiæ oſten-
tationem *fertur.* Vanus eſt. Saluator noſter hodie omnia no-
ſtra

ſtra triumphauit vitia infans DEVS! gemit in vilis ſtabuli, an-
guſti præſepis, contempti Bouis & Aſini electione Superbia,
dicente paruulo: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis* Matt. 11.
corde. Fugit, nec pauperem dignatur caſam, eſto Aurum
à Magis deferri videat, & inuideat paruulo Auaritia. Exceſt,
& procul Sacrâ Virginitatis domo ſtat Luxuria, miratur IE-
SVM inter Lilia, Matrem puta inter Virginem, & Virginem
nutricium. Iram iſthîc ne quæſiêris, iam alius ecce! gre-
mio enim Virginis exceptus Elephas Chriſtus, ad noſtrum
(loquor cum Dionyſio Carthuſiano,) ſeruitium ducitur, iam
ecce Rhinoceros ſtat ad præſepe, iacet DEVS, vinctus funi- Iob, 39.
culis charitatis*! Verbo, omnia exulant vitia à Parente vir-
tutum.

Porrò iam aptiſſimè inculcat nobis D. Chryſoſtomus*: Hom: 2.
Natus eſt ſecundùm carnem, vt tu naſcerere Spiritu, natus in Matt.
eſt ex muliere, vt tu deſineres eſſe Filius mulieris. Debuit post init.
per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret ait Apoſto-
lus, addam ego, vt verum eſſet, quod iactatur adagio? Ho-
mo homini verè DEVS. Ad Maiorem Dei Gloriam.

IN OCTAVA NATIVITATIS, DOMINICA VACANTE, SIVE IN CIRCVMCISIONE DOMINI, IN STRENAM.

Vocatum eſt nomen eius IESVS. *Luc. 1. cap.*

NVllatenùs patiar à Dulciſſimi Nominis ambro-
ſia auelli Auditor deuotè: quin illud vobis ex
integro in animi grati ſignificationem, & in-
uicem Strenæ Calendarum pridem deſtinatum,
hac Sacrâ eidem die, velut in Imagine Xenium
longè pretioſiſſimum dedicem cum ipſo IESV.
Solent amari varijs vitæ IESV, myſterijs inſignitæ Imagines,
nec immeritò, quis enim non diligat Saluatorem? Talem
proinde Strenam adfero, quam animo vt alacri, ita & deuo-
to ſigillatim, dum capitis, in Imagine pertranſire Hominem
Pſal. 38. memorantes, tuendo eidem, IESV effigiem, cum myſterio,
opponite. Id quod cedat Ad Maiorem Dei Gloriam.

Vocatum eſt nomen eius IESVS. *Luc. 1. cap.*

FRatribus IESV, & meis Sacerdotibus, & DEI ſeruis ordi-
ne omni primis, primas offero, IESV Cruci affixi Imagi-
nem. Noui quidem certè & expertus loquor, non deeſſe
illorum cuiuis ſuam, quam baiulent Crucem, vt animo baiu-
lent libentiſſimo, Sacerdotis Magni pendentis è Cruce,
XENIVM MONEBIT.

Ad legis ſuæ promulgatorem Moyſen *Exodi* 25. Dominus:
inſpice, & fac ſecundùm exemplar. An idem è throno Cru-
cis Dominus, cùm ait: qui non baiulat crucem ſuam, non
eſt me dignus? Certè euidens eſt ad omnes monitum: qui
Galat. 6. Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs. Igitur
cariſſimi, Sacerdotis illius ſecundùm ordinem Melchiſedech,
Pſal. 109. baiulantis ſibi Crucem, veſtigia & caſtra ſecuti imitemur,
pretioſam vtiq; olim in domo beatæ æternitatis, Strenam Ca-
Joan. 19. lendarum accepturi. Ita nos IESVS.

Secundas dignitate ſæculari fulgentes teneant, Domini
temporalis, Officio, Magiſtratus, aut Eminentiæ clariores,
quibus in Strenam ſit IESVS, ſuper ceruical in mari dormi-
ens,

ens, *Matthæi* 8. Ipſe verò dormiebat. Eſt paradoxum iſtud Matt. 8.
admirandum, ipſe dormiebat, cui atteſtatur Rex Propheta:
Ecce non dormitabit neq; dormiet, qui cuſtodit Iſraël. *Pſal.* Pſal. 120.
120. verùm ex Ioannis Cluniacenſis mente, quaſi abſens erat,
exploraturus vtiq; quantæ fiduciæ erga ſe & animi eſſent, in
vitæ manifeſto periculo conſtituti. Audi Rector populi, &
poteſtatem habens in inferiores, neſcit imperare, qui neſcit
diſſimulare, conniuendum ſubinde nonnihil infirmis, quando
CHRISTVS quem nullum latet ſecretum, velut ſcrutantem
renes & corda DEVM, *Pſal.* 7. teſtante ſuper ceruical dor-
miens, quaſi abſentabat ſe, cuius oculi in pauperem reſpici-
unt, & palpebræ interrogant filios hominum, *Pſal.* 10. Scru-
tantes (vt Hebræa habet) filios Adæ. Nec diffiteor, ſubinde
illud prudenter vſu venire debere: non omnibus dormio.

Judicibus porrò populi, atq; puniendis reorum criminibus
Præpoſitis, IESVM ad Columnam manibus ligatum, & vin-
ctum obijcio. Romanos Conſules, in publicum præire ſoliti Romanis Conſulibus faſces
ſunt, lictores colligatos faſces vnà & ſecures præferendo, eâ & ſecures
vt opinor conditione, vt intelligerent & ſuas colligari debere ligatæ cum
manûs, ne fortè ſubitâ in pænas corripiantur ſeueritate. Ita præfere-
Plutarchi *Problem. 29. tomo 1.* quæſtio eſt: quid eſt, quod Præ- bant.
torum virgæ ſecuribus alligatæ præferuntur? & ipſe ſibi: ſi-
gnum eſt, non oportere Magiſtratus iracundiam promptam
ac diſſolutam habere, quid enim laudabis in Magiſtratu, qui
motu primo correptus, optat ſibi cum Balaäm habere gladi-
um, aut ſecurim quâ feriat? Igitur petram eis Chriſtum alli-
gatum Columnæ petreæ obijcimus, dicente 1. *Corinth.* 10. *cap.*
Apoſtolo, Petra autem erat Chriſtus. Quid verò ita? Ha-
bet ſilentem ignem petra, habent ſilices ſuas ſcintillas, qui ta-
men ignis ſolos ſe prodit ad ictus: vt notârunt experti, talis
eſto ira, talis in pœnas eorum propenſio, quæ ſolos ſeſe pro-
dat ad ictus, vti decet Vicarios Patris orphanorum, & Iudicis
Viduarum, *Pſal.* 67. qui ſolâ vrgente Iuſtitiâ, pœnas decer- Pſal. 67.

E 2 nere

nere cöacti velint. Tendite manus huc etiam vestras ad Xe-
nia Causarum Auditores & Iudices, esto vos satis superque
ipse Dominus pridem instruxit, suo tam patente exemplo,
Genes. 18. cap. dum è summo cælorum Sodomæ euocatus cla-
more visurum se num ita esset, coram Amico suo Abraham
declarat, vt non auditâ parte aduersâ nihil decerneretis, vobis
in Strenam IESVM à Magis adoratum, thure, myrrha, & au-
ro, pariter donatum cedo, eâ cautione, munera ne accipiatis.
Eccl. 20. Mouit me hoc loci *Ecclesiasticus 20. cap.* exhortans imò affe-
rens: quia; qui munera accipiunt, per munera vident, quo
loco (vt notant multi) dicere visus est, pro more eorum fa-
cere Iudices muneribus corruptos, qui vtuntur perspicillis,
quo enim colore imbutum fuerit vitrum, eò imbuit, & obie-
cta visa per illud, & qui munera capit, per munera videt, iu-
xta munera, non iuxta rigorem Iustitiæ iudicat, & decernit.
Cedant proinde sua munera ipsi IESV.

Ad Coniugatos vt descendamus & Maritos, ipse monet,
JESVS in Strenam illis offerendus, qui olim pro nobis factus
oblatio, baiulans sibi Crucem exijt, *Ioan. 19. cap.* Artemido-
Crux so- rus Oneiwent: *lib. 2. cap. 58.* asserit, viro qui se affigi Cruci
mniata somniauit, futuras indicare Nuptias. Quantam sibi capiat
Nuptiarũ baiulandam, ad ipsissimam mortem, & finem vitæ alterius
index. vtrius, Crucem, qui duxerit vxorem, non est huius loci edis-
serere, sed vis lenire Crucem? audi Apostolum consulentem,
Ephes. 6. cap. alter alterius, onera portate. Rem aptam
liber *Iudicum cap. 11.* narrat, Iephte votum aliquando emisisse
satis inconsultum, quia videlicet offerre vellet Domino in
holocaustum, quidquid primum, de foribus domûs suæ oc-
currerit sibi partâ victoriâ, domum reuertenti in pace à filijs
Amon. Si tradideris filios Amon in manus meas, quicunq;
primus fuerit egressus, de foribus domûs meæ, mihiq; occur-
rerit reuertenti in pace à filijs Amon, eum holocaustum offe-
ram Domino. Dictum factum; redit victor, & ecce occurrit
illi

illi vnigenita sua, quâ visâ: heu me! inquit, filia! decepisti- Iephte
me. LXX. pro decepisti legunt impedisti me. S. Augustinus votum.
impeditum se dicere existimat Iephte in eo, quòd ratus fuerit
egressuram vxorem & non filiam. Auditor quot illos! qui
subinde Crucis baiulandæ osores in Matrimonio, optarent suas
vxores fieri holocaustum? inuenies?

Alteri coniugatorum sexui & vxoribus IESVM fero in ima-
gine ad Iudicum tribunal stantem & Silentem, IESVS verò ta-
cebat. Accusabatur, calumniâ afficiebatur, ipse verò tacebat.
Commendatissima vxor quæ nouit tacere. Imitetur ergo Spon- Matt. 26.
sum IESVM, taceat subinde, nec vapulabit. *Psalmi 101.* Verba:
exaudiuit Dominus orationem humilium Gilibertus Gene-
brandus apud Nissenum legit: exaudiuit orationem cicadæ,
vbi Æliani adducit testimonium dicentis: cicada mas solùm Cicadæ
stridet, fœmina verò tanquam verecunda Virgo silet. linguam fæmella
cicadæ optauerim loquacibus id quod Michael Scotus in sua silet.
mensa Philosophica, lepido expressit, vetulæ, cuidam marita-
tæ querenti, de viri percussionibus, responso, verbis ferè si-
milibus:

Si non vis vapulare Marone,
Suadeo, disce tacere cum ratione.

In Oneirocriticis & apud Symbolistas Lyra Matrimonio
dedicatur; imitetur ergo Lyram & dicat maritata: Dum vixi
tacui! Et Virginibus castis IESV in monte Thabor transfigura- Laureda
ti imago. Transfiguratus est ante eos, *Matt. 17. cap.* Trepi- nus,
dare Virginum est, & ad omnes viri ingressus pauere, omnes
viri affatûs vereri. inquit, *S. Ambr. lib. 2. in Lucam.* Transfigu- Matt. 17.
ratur Virgo ante viros quæ pudica, rubet ad ipsum conspectum
quæ casta mente & corpore, nec quære quanti color? socia
castitatis verecundia ita scit pingere, nouit vultum immutare.
Et Iesus quidem transfiguratus resplenduit in facie sicut Sol te-
ste Euangelistâ, solem verò intueri illæsis oculis vix licet, &
Virginem nisi castis oculis videri tutum est. Porrò & vesti-

menta

menta Iesu facta sunt alba sicut Nix. Niueam ego putem esse Virginitatem, ad ignem ergo ne accesseris ó virgo & liquescas. Sed forté de vestimento sollicitæ estis ? ô bonæ Animæ, quod honesté sicut in die ambuletis, laudo vos, quod exoticé, quód aliarum nationum more, in hoc non laudo. consonet linguæ & idiomati materno habitus ; dignissimum est. Dum Christi Discipulus se esse, qui erat, negabat, dicebant ministri : lingua tua te manifestum facit. Iam veró tam erronea isthæc facta est æuo nostro Regula, vt nihil minùs quàm lingua, prodat hominem, qui genus ? vnde domo ? interim, excluso tandem Patriæ genuino habitu, & tot introductis adsceititijs alis & floccis, etiam ipsa benedictio Domini fugit ex domibus nostris.

Quid Viduæ ? in strenam opulentam I E S V M in sepul-
1.Timoth. cap. 5. chro positum custodite, æmulamini siue Iudith castissimam, siue pijssimam Annam Phanuelis filiam : quia Apostolo ipsi.
Matt. 2. Vidua honoranda, quæ vera. Reuocemus hic in memoriam illud quod de Sanctis Iesu adoratoribus Magis *Diuus Matthæus* fatur ; per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Vidua bona, noli redire ad Herodem, soluta es, cum Apostolo dico : noli quærere conjunctionem.

Strenam accipite etiam vos ô Iuuenes Iesu imagine intem-
Thre. 3. plo inuenti insignitam. Bonum at viró cùm portauerit Iugum Domini ab adolescentia sua *Thre. 3.* non dicit iuueni bonum sed viro, quia erit ei bonum, quod sibi meretur antequam fiat vir. In templo proinde cum Iesu inueniri sæpiùs, quàm in popinis & tabernis Iuuenum est Deum timentium. His ita per status enumeratos datis Xenijs, reliqua strena, gloriosè magnificatus, & ad Patris dexteram considens aduocatus noster, esto & mihi I E S V S.

DOMI-

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Et erat subditus illis *Luc. 2.*

SI iuxta rigorem huius vocabuli ac significationem, accipi solitam Christi obedientiam, quam Parenti sanctissimæ, Nutricioq; suo carissimo præstitit dicerem fuisse, tanta foret dicenda, quantam ætate nostrâ, præstare subditi Dominis suis quibus subsunt, adiguntur. Et quid minorem optaret, liceat ita dicere, noster Saluator, qui factus obediens Deo Patri vsque ad mortem, mortem autem Crucis ? *Philip. 2. cap.* Docentur porró hodie Philip. 2. cap. maximé filij & proles quantam suis, debeant Parentibus reuerentiam obedientiamque. quod argumentum vt prosequar obedientissimo Iesu supplicemus.

Terribilem maledictionem, quia & Paternam & Dei nutu ratam accepit quondam nequam filius puer *Chanaam Gen. 9. cap.* Quia Patrem Noë irrisit nudatum. Quàm misericors Dominus CHAM. Gen. 9. qui etiamnum non punit, redditor patientissimus in irreuerentes filios. Quid ? videas modó facillimé colludentem alijs aut chartifolijs Patri seniculo filium, combibentem imó etiam colluctantem & Sacramentorum blasphemâ enumeratione in Patrem efferuescentem, qui non verberâsse, ducit piaculo, esto inclamet præcipiens Deus, Honora Patrem tuum. Vadite amabo nequam filij ad S. Bernadinum Senensem, qui dicet vobis *Serm. 17.* Quadrages: in Catilonia suspensum suo tempore Iuuenem cui mox Barba & cani exorti sunt, in signum quód victurus ad eam canitiem fuisset, nisi præceptum Domini præ- Bernard. Senens. uaricatus fuisset. Interim egredimini & vos filiæ hominum, circumornatæ vt similitudo templi *Psalm. 133.* videte Regem Serm. 17. quadrag. vestrum

Salomon Matrem honorat 3. Reg. 2.

vestrum plusquam Salomonem, esto diademate suæ Diuinitatis renitentem, tamen subditum Matri. videte & veterem Salomonem *3. Reg. cap.* Matri deferentem; surrexit in occursum eius, posuit Matri thronum â dextris suis. date filium ô filij, filiam vos filiæ hominum similem? puto canendum est cum *Ecclesiastico cap.* 44. Non est inuentus similis (ex omni prole) qui conseruaret legem excelsi præcipientis : Honora Patrem tuum & Matrem tuam vt sis longæuus super terram. S. Vincentius putat IESVM Matri aquam portâsse : rara submissio etiamnum filijs & filiabus perquàm difficilis & exosa. Barbarus quidam Scytha duos habebat filios, cumque nocte quâdam,

Scythæ cuiusdam nequam filij duo.

ardentissimâ siti laboraret, Minorennem his tam blandis Pater implorabat vocibus : Stanislae ò carum pectus Stanislae, ad quæ ille, intercisis ronchis quos trahebat, suum : Quid? oggannijt. Tum Pater denuò : per te immortalem ô fili Deum abi sis velociter, fontanam apporta, vt siti arentem linguam, & exusta viscera, recreem. At, surdo loquitur fabulam querulus Pater.

Apologi Polonici

Interim senior Albertus, ad Patrem ait, Heus Pater, noli vltrà isti nequam supplex fieri, surge potius, fontanam ipsus affer, vt, & ego sitibundus, bibam. Certè optarem, ne tam piæ in parentem, vltrà nascerentur, proles, ingrati (vt vocant) Cuculi. Contrarium in Iosepho, contrarium spectare fuit in Isaäco, Iesu figuris; quid enim Ioseph nonne bonus filius?

Gen. 46

Gen. 46. cap. Dum se fratribus reuelat, dum præ singultu formare verba vix potest, Patris tamen nomen effari primùm aggreditur amans, viuit Pater meus. non commemoro, quæ vltrà fecerit dum curru Regio obuiam Seniculo Patri progreditur, Regi præsentat, quæ singula æui nostri liberis si applices heu quantum distabunt à pietate Iosephina! nihil tam acerbè tulerit filius atque Patris aut Matris nomen cui ille primas dedit, nihil æquè quàm Parentelæ commemoratio cruciauerit, cùm ille fratres suos monuerit, Pastores ouium vt se dicerent, & coram Rege quidem; cuius gratiâ creuerat. Inue-

nias

nias modò, & quidem perfacilè, qui fores Parenti occludant venturo, Ioseph currum ascendit vt Patrem eminùs grato acciperet osculo, pudet etiamnum filios & filias si mensæ, vetuli accumbant, inter conuiuas suos, Parentes, Iosepho in Palatio, ouium Pastores fratres, cum Patre, gloria, tunc ad se venisse. Habet profectò Christi omen isthæc obedientia. Idem de altero esto iudicium, qui Patri obediens, Christum referebat, vt habetur *Gen. 22. cap.* Nunc quærendum mihi visum est, vnde tam ingrata increuerit filiorum irreverentium inobedientia?

Sapientiæ 11. cap. Diuini edictum Spiritus est : per quæ quis peccat, per eadem punitur. Verberauit aliquis honorandum Patrem, verberonem generabit sui Filium aut parricidam.

Vnde malitia filiorum,

Luctata est cum Matre nequam, nequior filia, multam speret à Domino retributionem cum maledictione, parturiat aliquando, certè pariet filiam, filiam germen Viperarum. Idem sequi amat indulgentiam patrum virgæ directionis parcentium, quæ fugat stultitiam, vt ait Sapiens *Prouerb. 13.* Collo pueri alligatam. Porrô ne peremptores magis dici, quàm progenitores; videantur, quibus multa aut pauca proles, caueant Christi *Matth. 5. cap.* monitum dicam an minas? Parentes : væ mundo à scandalis, ne mereantur. B. Dorotheam Prutenam Ad Annum 1394. refert Bsouius fuisse suarum prolium sedulam Magistram, vt quas ab infantia primùm dlucisissima IESV & MARIÆ docuerit proferre nomina. Auditor non ita nostræ Patriæ homines, vbi infantes primùm Diaboli, & Sacramentorum vocabula condiscunt à blasphemis Parentibus. Quaproter & filios hodie tibi, qui subditus erat tuis ô IESV Parentibus, & Patres cum liberis, sanctissimo exemplo, erudiendos, Sanctissimâ Matre & Nutricio tuo propitiantibus, velim commendatos. Ad Maiorem DEI Gloriam.

DOMINICA II. AB EPIPHANIIS

Fecit initium ſignorum IESVS *Ioan.* 2.

AMabilis ſanguinum ſponſus Exodi. 4. qui habet Sponſam Eccleſiam, & ipſe quondam
Pſal. 44. tanquam ſponſus proceſſit de thalamo vteri virginalis, hodie inuitatus à Sponſis ad Nuptias, in Vino, quod etiamnum ſanguinem æmulatur, oſtendit gloriam ſuam. Hodie mirabilium ſuorum in Cana Galilææ facit initium, aquam convertendo in Vinum, ille qui nubentibus in Spiritu & deſponſatis ſibi in fide & dilectione animabus *Oſea* 2. *cap.* dat vinum in abundantia ſed vi-
Zach. 9. num germinans Virgines *Zach.* 9. *cap.* Hodie demum fit ex Aqua Vinum quod ſeruauit nobis vſq; adhuc, vinum bonum vtait D. Auguſtinus Euangelium ſuum nobis propinatur. Vi-
Vinũ bonum, Euãgelium. deamus Euangelium bono Vino comparatum vt eodem potati perueniamus ad eum, qui hodie oſtendit gloriam ſuam. Ad Majorem DEI Gloriam.

Vinum lætificat cor.

Pſal. 18. Expreſſit hoc Rex Propheta fatus *Pſal.* 18. Vinum lætificet cor hominis. Vinum bonum D. Augſt: Euangelium & DEI Verbum eſt; ergo lætificet cor auditorum. Et certè ſentiunt deuotorum corda multam dulcedinem, quam abſcondit eis in vino Verbi & Euangelij ſui Chriſtus, neque enim deſunt, qui amarè fleant, niſi introducantur in cellam Sponſi ſui, vt inebrientur Vino compunctionis, per eloquium eius. At quale-
Vinũ auſterũ calefacit. nam ordinariè Vinum lætificat: certè illud quod natiuo calore ſenſus & frigentia membra & cor refouet aut reaccendit.

Ignitum Eloquium vocat Domini Regius Vates *Pſal.* 118. & ſeruus inquit tuus diligit illud. Vtinam igniret omnes Auditores verbi, Euangelium tuum Domine & legis tuæ factores efficeret, ne poſthac viro conſideranti vultum natiuitatis ſuâ in ſpeculo à fratre tuo compare ntur. Si enim teſte Hieremiâ Drexelio in ſuo Zodiaco, ſignum Prædeſtinationis Beatæ eſt Audire Dei verbum, certè auerſatio eiuſdem & negligentia Signũ prædeſt: Auditio Verbi Dei. Verbi Dei ſignum damnationis ſit oportet. Contrariorum enim eadem eſt, vt Philoſophi, diſciplina. Si teſte IESV qui ex Deo eſt verba Dei audit *Ioann.* 8. *cap.* & ; propterea vos non audiſtis, dicebat Iudæis, quia ex Deo non eſtis, quàm bonum Vinum ſeruauerit, planum eſt cuique iudicare. Exeſte proinde vappæ mundani vini & conſolationum Amatores, Vino bono ſermonum Chriſti inebriemini cariſſimi!

Vinũ modicè ſumptũ, benè guſtatur & dignoſcitur.

Guſtate & videte quam ſuauis eſt Dominus, ad poculi hujus dulcedinem inuitans Dauid *Pſal.* 33. aiebat. quod exponens Pſal. 33.
Lyranus; loquitur, inquit, admodum hominum dulcedinem Vini probantium. Sed quo pacto tales Vini explorant dulcedinem? primo, ait, modicum deguſtant, & ex hoc cognitâ eius dulcedine alliciuntur ad ampliùs guſtandum. Diſcant Auditores Verbi Dei illius dulcedinem pedetentim vt ità loquar percipere, quod faciet, auditorum ab Eccleſiaſte ruminatio, ad mores proprios, ſi ità oporteat, corrigendos applicatio, ad vitia, per verbi Diuini præconem vt vituperio digna cognita, mox eradicanda & vitanda pro virili motus & animi excitatio. Pulchrè id Sanctiſſimæ Dei Parenti adſcribit Diuus
Lucas 1. *cap.* conſeruabat, inquit, omnia verba hæc conferens Luc. 2.
in corde ſuo. Idem feciſſe gloriatur Rex Propheta *Pſal.* 118. fatus: in corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccem tibi & meditatus ſum in omnibus verbis tuis. Quid porrò diſtracti? volat irreuocabile verbum!

Vinum, immiſsis lapillis dolio, purificatur!

Cui bono Oenopolæ lapillos in dolia Vinaria demittant, purificandine vinum? an per lapillorum iniectionem sursum illud promouendi gratiâ? extraneum est à nostro iudicio. Vinum bonum Dei Verbum quod Spiritus Sanctus in Corde hominum per suos præcones immittit, non sine lapillo aut calculo sine manibus absciſſo in cor diſcendere ſolet, per Verbi enim auditionem Christus in animam venit. Ita *S. Gregorius hom.* 17. fatus: prædicatio præuenit, & tunc ad mentis nostræ habitaculum Dominus venit. Vnde vt Naturalium scriptor Plinius ait, quemadmodum lapillus in piscinam aut stagnum missus circulos facit innumeros, & hoc idem non facit influmine, ita cum Dei verbo Christus descendens in cor hominis, in quorundam Anima facit dignos nasci pœnitentiæ fructus, inducit ad varia vitæ æternæ meritoria opera, quod idem non facit in Anima aliorum, quia in Corde quod non est compositum & quietum, velut in flumine fugiens aqua, sic amor sæculi omnem figuram vel potius omnem sementem Virtutum disturbat, amor enim sæculi inquietus est, curas diuitiarum & Solicitudinem generans, omnem Diuinæ inspirationis gratiam euertens, audita ruminari, conferre in corde multò minus eadem opere complere finit. Adeunda igitur cella hæc Vinaria, vbi prædicatio Dei verbi præuenit & post eam Christus in mentis habitaculum, lapis ignitus & verè purificans Animam, venit.

S. Greg. hom. 17.

Vinum sanat mundatq; vulnera.

Matt. 22. Samaritanus illic, miserans vicem vulnerati, Oleum infundit & Vinum. Idem facit veritas Euangelica, dum varia coarguit vitia, sanat vulnera, vitæ malè actæ labem abstergit, dum minas vindictæ Diuinæ commemorat, ab incurrendis vulneribus peccatores absterret, dumq; exempla punitorum recitat, ne alij puniantur, quodammodò præcauet, & sicut Vinum quò acrius, eo sanandis vulneribus magis accomodum, ita & prædicatio, quantò acriora ad resipiscendum

ostendit documenta, tantò, reluctante etiam homine, saluti fiunt proficua. Ergo acescat Vinum, mordeat vulnera, exedat pus & tabem, optanda salus & Sanitas, dicatur veritas à præcone Verbi Dei, arguat, increpet, modò saluetur peccator. Et nonne fatuus sit, qui ab acrioris vini in vulnera dimittendi tumorem, non curari & non sanari malit? idem iudica de illo, qui ob inueteratam peccandi, certo modo aut genere, consuetudinem, auditâ Euangelicâ veritate contemnit emendare, mauult damnari.

Viñũ acre vulnera purificat.

Vinùm quantò vetustius tantò melius!

Adnotauit hoc Dion Cassianus vini scilicet optimam antiquitatem, de quo S. Ambrosius: ex cunctarum rerum substantia, omnis res vetustate deperit, solum Vinum proficit vetustate. ita ex omni genere hominum, cunctis antiquitate pereuntibus, solus Christianus proficit vetustate: & sicut Vinum per singulos dies asperitatem suam decoquens, saporis dulcedinem, suauitatem odoris acquirit, ita & ille, ſucceſſu temporis, delictorum suorum asperitatem decoquens, Sapientiam sibi Diuinitatis, beneuolentiâ Trinitatis assumit.

Idem in nobis operari deberet Verbum Dei eiusq; auditio, vt quantò plus de illius gustamus dulcedine, & sapore interno replemur, tantò proficiamus in opere abundantiùs, vetustatem nostram consumere debet. & nouam reparando nos, ad virtutum exercitia inducere fructuum spiritualium vitam, vt tandem olim edamus & bibamus super mensam eius vt *Luc.* 22, ait, qui seruauit hodie bonum Vinum vsq; adhuc id est Euangelium. Luc. 2.

Curemus vt vini similes quo senior quisq; nostrum est, eò & castiores, melioresque simus opere non ætatis sola prærogatiuâ vt videbantur *Dan.* 13. *cap.* illi seniores, nec enim Senectus quia cana venerabilis. quia annis aut annorum numero ditior, ideò nobilior sed quæ factis & egregijs clarior virtutibus & vitâ immaculata vt ferè *Sap.* 4. legimus. Quod Sap. 5.

faciat in nobis, qui hodie in Vino fecit initium ſignorum Chri-
ſtus Iesvs.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ.

Honoratas hodie Nuptias Chriſti præſentia fecit Auditor
deuote. quidquid enim motiuo ſibi fuerit adeundi illas, certè
Luc 1. ſanctas & in ſanctitate & Iuſtitia coram ipſo factas eſſe non
dubitamus, ad quarum ſolemnia Sanctus Sanctorum venire di-
gnatus eſt. Nec vacat locus ipſe myſterio, cum enim Amo-
rem Dei pariterque timorem Cana Galilææ ſonare perhibetur,
rectè Sapientiæ Dei, qui Chriſtus eſt, facta ſedes eſſe creditur.
Vtinam timore Domini omnes æui noſtri Nuptiæ firmaren-
tur, ſæpiùs Chriſtum hoſpitem habere per gratiam mererentur,
Tob. 9. id quod *Tob. 9.* legimus de nuptiantibus ibidem, quoniam cùm
timore Domini nuptiarum conuiuium exercebant. At longè
amat fieri iam aliter Auditores, vt modernæ ſæcularium Nuptiæ,
meliori æquè ac veraciori titulo, ſint omninò crebriùs vocan-
dæ Ineptiæ. vti Ad Maiorem Dei Gloriam.

Nuptiæ factæ ſunt. *Ioann. 2. cap.*

MIraculum patientiæ *Iob. cap. 10.* vbi infernum alijs deſcri-
pſiſſe viſus eſt, mihi Nuptias Auditor deuote ex amuſſim
deſcripſit, vbi nullus ordo ſed ſempiternus horror in habitat.
Iob. 10. Quis enim ordo amabo te in celebrandis modò Nuptijs ? non
niſi in die Feſto quod ipſi adeò Iudæi detrectant, non niſi Do-
Nuptiantes die feſto Miſſā negligūt. minicis diebus celebrantur, & eheu ! præceptum tertium quot
obliuiſcuntur ! pone enim, inuitentur domûs viginti, quot nu-
merabis perſonas ſi vadant de ſingulis vt ſolûm tres, puta Con-
iuges ambo cum filia vel certè filio ? & ecce nuptiarum gra-
tiâ, æterni Regis nuptias, in SS. Miſſæ ſacrificio contentas, o-
mittent Perſonæ Sexaginta, præter miniſtros, & culinæ custo-
des, ob fœtentis aduſtiq; vini hauſtum, qui tum maximè dùm
conueniunt, propinatur, Bonum Euangelij ſancti & prædicatio-
nis Vinum contemnitur. Senior filius & prodigi frater Luc. 15.

cùm

cùm ex agro redux audiſſet chorum, & ſymphoniam, vo- Luc 15.
cans vnum ex ſeruis interrogabat quid hoc eſſet, iſq; dixit ei,
frater tuus venit, & occidit Pater tuus vitulum ſaginatum, quia
ſaluum illum recepit: indignatus eſt autem & nolebat introire.
Neſcio an introiret pia Anima quæ audiret die Feſto, loco
SS. Miſſæ ſacrificij, loco tubæ Euangelicæ, choreas nuptiales,
ſpurca & vix nominanda eorum dicteria, perorationes, Anûs
vetulæ loco Neo-ſponſæ productiones, feſtiuos riſûs, & ſic de
cœteris. En tibi nullum ordinem.

De ſempiterno horrore agamus. Certè horrendum viſu eſt
tot ſuperſtitioſarum circa Sponſæ traditionem obſeruationùm
ſpectaculum, vbi creditur, non tradenda eſſe omninò vllo die
per annum, in quem Natalis SS. Innocentium incidit, ſtultâ Nuptias celebrare die inquē incidit feſtū Innocentium nō infauſtum.
perſuaſione, talem diem, quo ſancti Infantes pro Chriſto ab
iniquo Rege interfecti ſunt, eſſe infauſtum. Quam ſtultitiam
facilè deprehenderent, modò cogitarent, idem debere conſe-
quenter obuenire omnibus, qui aliud quidpiam aggrediuntur
tali die, ſi foret iſtud verum. Contra quos 26. *quæſt: 4. cap.*
Non liceat : dicitur : Non liceat Chriſtianis tenere traditiones
gentilium & obſeruare vel colere : Elementa, aut Lunæ aut Stel-
larum curſus, aut inanem ſignorum fallaciam pro facienda do-
mo, vel propter ſegetes vel arbores plantandas, vel coniugia
ſocianda, Scriptum eſt enim, omnia quæcunque facitis aut in
verbo aut in opere omnia in Nomine Domini noſtri Iesv
Chriſti *f*acite.

Tecco ſexcenta alia vt ad ipſas Nuptias aliquando pertin-
gemus, quibus præludit damnanda apud Ruſticos, conſuetudo,
vt enim primùm ventum eſt ab Eccleſia, Neo-ſponſæ offertur
lebo Panis mappâ obuolutus, quem illa manibus excipiens,
ſcamnum inſilit, menſamq; ſequentibus ſe puellabus circum-
it, tandem mappâ reuolutâ ſuper menſam, panem exponit.

Oſtulti & tardi corde, ad Deo ſummo & bono credendum, Pſal. 64.
qui dat eſcam omni carni *Pſal. 64.* teſte, niſi enim ipſe bene-

dixe-

dixerit coronæ anni benignitatis ſuæ, panis vobis deërit nec replebimini, vt ait textus ſacer *Genes. 27.* benedictionibus cæli deſuper: Tandem collocatis omnibus ad epulas, ecce tibi horror nouus, patinas enim inuolant, ius certatim & pultes rapiunt idque ſine lux ſine Crux ! ſine Deus. nec enim benedictio menſæ, non inuocatio Diuini Numinis, ſed inſulſi ſales, & architriclini ad ſtrenuè vorandum, cum offenſa caſtarum Aurium, frequens, cohortatio. Iam amabo te quid iudices ? nonne Ineptiæ ſimiles plerumque Nuptiæ ? Audi Architricline, *S. Gregorius lib. 1. Dialog. cap. refert 4.* Monialem ſine facta Cruce lactucam edentem ſimul glutiſſe Caco-Dæmonem quo eam poſtmodum S. Equitius liberauit. Quin & tu Nuptiarum Curio & ouium præclare cuſtos (vt aiunt) lupe, non ad orationis Dominicæ potiùs, quàm cachinnos tuos, prouocas conuiuas ? pudet dicere, ebriæ vino aduſto quæ effutiant Vetuſtæ Matres familias, docentes iuuenculas ſed non ſecundùm præceptum ſancti Pauli. Iam verò ad Cana Galilæenſes Nuptias me tecum reuoco Auditor. Lutero reſpondeamus mentienti iniquitatem ſibi, quòd videlicet inebriati fuerint Diſcipuli, id quod è ſacro textu minime eiuſdem aſſeclæ demonſtrare poſſunt, quibus dicendum : plus illos ſtupenda tenuit potentiæ Dei Filij admiratio, quam vini delectatio, nec locus eſſe potuit intemperantiæ, vbi Magiſter ſedit omnis gratiæ & Virtutis. Non fuit illic inſignis veſtri Bibonis, cum inſcriptione terna, crater, cui ebibendo, illius abdonem inſigniter reſpondebat. At quod doleam, in Nuptijs modernis, ea eſt, & viget Ebrietas, vt pauculis, ſi licet, exceptis, plerumque omnes cæcutiant. Interim iurant ſe Apoſtoli ſeruare monitum, fratres ſobrij eſtote *1. Petr. 5. cap.* Eſt moris apud modeſtiſſimos Religioſos vtrâque manu ſuſtentandi, de quo bibitur, poculum aut vitrum, apud nuptiantes verò, ne excidat, capaciſſima amphora, vix ambæ ſufficiunt retinendæ, quàm non ſolùm viri, ſed pleno choro bibunt ad æquales, mulieres & virgines, illud occinentes :

Monialis ob neglectã benedictionem & Crucis ſignũ punitur.

Tib. c. 2.

Lutheri crater. apud Laurent. Baierlinck.

Modeſt. in Religioſ. in bibẽdo

Vlula cum lupis cum quibus eſſe cupis !

Deniquè non nuptias ſed ineptias eſſe euincunt quas plaudunt, choreæ ; ſi enim, vt *D. Chryſoſtomus cap. 44. ſuper Matt. ait,* vbi ſaltus, ibi Diabolus, quot illos adeſſe neceſſum eſt, vbi tota domus merus ſaltus & chorea & dicam verbo infernus eſt ? certè cum S. Auguſtino, ſaltus in chorea, ſaltus in profundum inferni eſt ; adeò, vt placeat illud Poëtæ :

In choreis Dæmones

Sunt apud infernos tot millia formoſarum.

In vita S. Eligij Epiſcopi vltra 50. choreas ducentes rapti à Dæmone. Non ſic igitur non ſic cum Rege Propheta *Pſal. 1.* dico, impij non ſic. non poſt Ineptias, ſed in Cana Galilææ Nuptias celebrate, IESVM etiamnum præſentem cogitate, dicente Boëtio *lib. 5.* de conſ. Philoſ. ante oculos agitis iudicis omnia cernentis. adeſt omninò, adeſt Deus conuiuijs noſtris vt cecinit præcentor Eccleſiæ Prudentius :

Perſius

Speculator adſtat deſuper.
Qui nos diebus omnibus.
Actusq; noſtros proſpicit,
A luce prima in Veſperam.

Gaudete ò conuiuæ ſed in Domino, modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus vt ait Apoſtolus *Philip. 4. cap.* læti eſtote & iucundi ſecundùm faciem Sanctorum *Iudith. 16.* nolite conformari amatoribus mundi, qui *Iobo teſte 21.* Ducunt in bonis dies ſuos : tenent Cytharam & tympanum & gaudent ad ſonitum organi : &, in puncto, ad inferna deſcendunt.

Phil. 4.

Iudith c. 16. Iob 21.

DOMINICA III. AB EPIPHANIIS

Domine si vis potes me mundare *Matt.* 8.

QVasi atrium domûs vestibulumque scopis mundaret, ipsis domûs penetralibus in multa sorde relictis, qui corporeo quidem cultui adeò vacat, Animâ interim sordibus peccati scatente, Auditores. Faciem externam auidè emaculamus, ne videamur hominibus sordidati internam Animæ faciem, sepulchrum, dealbatum foris effecti, à mortuorum,
Matt. 23. ossibus fœtentem *Matt.* 23. Divinis oculis ostentare miseri præsumimus! ò quot enim, cum D. Bernardo eloquar, mortuas Animas in vino atque inani culturâ expolito corpore gerimus! Anima plus est quàm corpus, illa æternitati hoc vermibus debitum, adeoq; plus hæc; præ illo, excolenda, plus ornanda, plus & mundanda. Ad Maiorem DEI Gloriam.

Domine si vis potes me mundare. *Matt.* 8.

MIrum aliquid pronunciauit Rex Propheta cùm politam,
Psal. 44. quandam commendare vellet dicens: *Psal.* 44. Omnis gloria eius, filiæ Regis ab intus. non grata venit opinor comptulis modernis & videri amantibus hæc commendatio, tales comendatitias laccrarent circumornatæ vt similitudo templi filiæ hominum, quibus ab extra, non verò ab intus, præplacet
Vestes vi cultura. Sed amabo te vade mecum, in domibus Regum eos
liores suf- visuri sumus, qui mollibus vestiuntur *Matt*, 11. teste Domino.
fulturam Vide ergo vestimenta eorum; desuper est pretiosus aliquis
habét pre- pannus, aut artifice manu texta vario materies filo sericio, sed,
tiosam.

reuela sis, & suffulturam ab intus reuide, aut certè purpura, est, aut de vltimis finibus & procul allatæ ferarum pelles, & rarissimæ animalium exuuiæ. proinde, si pluris fit. quia pretiosior quæritur panno exterius apparente pellicula intrinsecè latitans, quidni ad eam similitudinem Animæ pulchritudo & mentis cultura nos delectet?

In monte Thabor transfigurati Saluatoris, resplenduit faci- Matt. 17.
es sicut Sol dicit *Euangelista cap.* 17. Idem ferè de Sancto Leuita Christi Stephano, Actuum Apostolorum scriptor retulit: intuebantur, inquit, vultum eius tanquam vultum Angeli. Denique legislatori Moysi consortium Dei dies 40. in monte, continuatum, tantam in facie radiorum contulit claritatem,
vt non possent in eam intendere filij Isràël nisi velatam. Exod. 34.

Iam videamus Domini facies, illustrissimi planetæ, æmulabatur splendorem, nam D. Thoma teste 3. p. q. 45. art. 2. ad Corpus Christi deriuata est claritas à Diuinitare & Anima, quasi nostris verbis diceret Doctor Angelicus: omnis eius gloria ab intus procedebat, irradians ad modum Solis vultum Sanctissimum; de seruis verò Moyse & Stephano, non aliud dicen-
dum; nam D. Stephano vultùs Angelici claritatem quis con- Act. 6.
tulit, nisi Spiritus Sanctus, quo illum plenum idem Lucas in actis fuisse testatur? alteri verò consortium sermonis Dei intus per dies 40. operatum est, vt appareret facies eius cornu-
ta siue radians *Exod.* 34. Adeste porrò computemus ô pul- Exod. 3.
cri amatores! quo loco vera habitet pulcritudo; non minium genis illitum, non mille cælorum genera, non stibium & Casia; pulcher est qui in Animâ mundus. Insignem rei nostræ testem audiamus Sposam *Cant.* 1. Nigra sum sed formosa. quod
distinxit non nemo ita, nigra iudicio mundi, pulcra iudicio Cant. 1.
Dei, oculus mundanus quia infirmus, videt ea quæ foris parent, Deus autem intuetur cor, scrutans intima dum animæ munditiem inuenit totam pulcram pronunciat. Placet eius videre fallaciam? solet pulcris insignire suos titulis & quidem

iјs qui cum claritate junctiſſimi ſunt, hinc, vocat Illuſtriſſimos Barones, Sereniſſimos Principes & Reges, perilluſtres Equites. Iam quæritur, oculos Diuinos conſiderando, qui tales vocat quales inuenit ab intus & anima homines, etiamne tales vocandi ? ità omninò ſi mundi in Anima, ſi pulcri ab intus, ſi mundo corde, & contra, ſi, vti *Matt.* 23. dicebat Chriſtus: væ vobis hypocritæ quia ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quæ de foris apparent hominibus pulcra, intus autem plena ſunt ſpurcicie & oſſibus mortuorum, certè dicentur Illuſtres ſed obſcurri, Sereniſſimi ſed illunes, perilluſtres, ſed tenebroſi, illuſtres judicio hominum, obſcuri judicio Dei.

Noli proinde atrium Animæ corpus tuum excolere, ſed ipſam Dominam & Reginam ab intus exorna, corpus tuum ancilla eſt, quid amabo plus præ Domina & Filia in eam curæ & polituræ expendis ?

Vincentius lib. 25. cap. 53. de vxore Domini Syluij Ducis Venetorum refert illam ex rore antelucano ſolitam balneum mundando corpori inſtituere Fruſtrà certè, ab intus ros antelucanus non mundat, ſed contritio etiam deſpicere cor humiliatum te Domine, vt ait Rex Propheta, non ſinit. Abominabilis credite mihi eſt coram Deo iſthæc facierum munda-
Psal. 50. tio cuius velut in ſpeculo paradigma objicio. Valerius Venetus prat. florid. part. 1. lib. 1. cap. 1. refert: Deuota quædam aſſiduis Deum exorabat precibus, id ſcire liceret ſibi, quid maximè Deo diſpliceret in fœminis. Quapropter aliquando ad inferos rapta, Comitiſſam ſibi in viuis benè notam in pœnis vidit & agnouit clamantem: Væ mihi miſeræ, ego fui ſemper abſtinens, feci multas eleemoſynas, & alia pietatis & charitatis Chriſtianæ opera, & ſolùm modò propter ornatum mei corporis nimium, & ſtudium me comendi & ornandi fui juſtè condemnata, ſiquidem illo ornatu ſcandaloſo multis fui cauſa & ruina peccati, prouocando eos ad concupiſcentiam mei, & ſcandalizando etiam ſeruos Dei ſanctos & caſtos. His auditis

ditis ait Deuota: ergo hoc eſt quod maximè odit Deus in fœminis ? Ita eſt, inquit, quia vanus ille ornatus inflammat homines ad peſſima deſideria & omnem Dei offenſam. Hæc expendamus memores illius *Iſaiæ 14. cap.* ſubter, te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. ſic de anima cogita, vt ſit tota pulchra, & macula non ſit in ea. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Van^o mulierũ ornatus Deo abominabilis.

DOMINICA IV.
AB EPIPHANIIS.

In Mari. *Matt.* 8.

ENauigandum eſt ſiue Reges, ſiue inopes erimus coloni, omnibus hodie cum Pöeta mortalibus occino Auditor pie. Ibit Homo in domum æternitatis ſuæ *Eccleſiaſtæ 12. cap.* deferendum nobis hoc mare magnum Mundus, egrediendum de domo corporis & abeundum in domum meritæ æternitatis. Quibus ita ſe habentibus, & ſidus igitur quo auſpice, & Nauclerus quo traduce, & ventus quo fauente ad portum quietis perpetuæ perueniamus, deligendi, quod ſermo præſens. Ad Maiorem Dei Gloriam docebit affatim.

Horat. Eccl 2.

In Mari. *Matt.* 8.

QVi mare nauigant, propitium ſibi aliquod ſidus eligunt, cuius aſpectu directi, viam inter avia maris nouerint & pericula deuitent tempeſtatum. Conſultiſſimus vir Alciatus ſigno Geminorum, motu magno facto in mari & cælo obtenetrato ocyùs, epigraphen adſcripſit: ſpes futuri Auxilij, voluit

luit dicere, signum futuræ quietis & malaciæ ex Geminorum apparenti aspectu notandam post exoneratam tempestatem. sed, benè habeant alij sub his auspicijs & tali signo, mihi verò Gemini facerrimi in illa extrema abeuntis animæ è Corpore, extra Castoris & Pollucis aliam sunt IESVS & MARIA. Certè non ex vita ex mari tamen exiturus olim Simeon Stylita, dum currum insconsurus fictitium à Dæmone illusus primùm hoc sidus consalutat: O bone IESV dirige viam meam, à præsentissimo vitæ innocentis naufragio saluatus est. Quàm suavi enauigauit mare hoc magnum quiete S. Tharsilla ? quæ febre vehementi correpta, dum in IESVM ô sidus Nauigantium ! intendit, qui sibi (vt refert S. Gregorius) apparuit clementissimè, expirauit. Idem de SS. illius Matre, velut Stella Maris certo judicium. Ioannem Ducem Maltensem *Hennius lib 5.* refert, cùm sæpiùs contrarium ventum nauigans sentiret, imaginem Deiparæ Virginis ad malum navis affixisse adscripto lemmate eidem : non ampliùs malus ; voluit dicere opinor, non ampliùs mea vela malus ventus afflabit, postea quam sidus hoc cæleste & Maris Stellam cuius imagine malum corono, habebo propitiam. Et certè ita est, quicunq; hos Geminos IESVM & MARIAM, ore fide, opere, vitaq; respicit, eorum manibus Animam suam exituram olim, in omni vita committit, sentiet auxilium. Hinc Bernardi mellifluum est ad Patronæ refugium & patrocinia hortamentum : Respice Stellam inuoca Mariam. Innumeri sunt quos IESV & MARIÆ emenso vitæ mari ad portum salutis benignissimi aspectus peruenire fecerunt. Refert Bzouius B. Isaiam Ordinis Eremitici S. Augustini B. Virginem hisce verbis euocasse moriturum : Isaia, inuito te ad nuptias filij mei, cui etiam suam, eadem inuitatrix cælestis, præsentiam clementer exhibuit. Eandem gratiam B. Stanislaus Ordinis Canonici S. Augustini jam ex hoc vitæ fragilis mari enauigaturus sortitus esse fertur, dicente Beatissimâ Christi Matre, veni, propera fili & veni, qui lecto exiliens e moritur,

Antonius eius Discipulus c. 5.

Fælix mors sub auspicijs Iesu & Mariæ.

ô sidus Geminorum verè exoptandum in morte, adorandum in vita ! Omne tulit, punctum qui miscuit vtile dulci.

IESVS MARIA. Horat.

In Mari. *Matt. 8.*

Qui enauigare satagunt Nauarchum peritissimum juxta ac fidelissimum quærunt, tantundem enim absunt à morte, quantum ab vndis, ipsarum allambens superficiem, abest distatq; nauis, pulcrè apud Polinæum lib. 3. dixit Anacharsis, Heu quàm periculosa ex mari huius vitæ ad salutem & domum æternitatis felicissimæ via ! quis petat Elysium ? ab quo traducæ portus ille vitæ æternæ excipiat nauem vel potius Animam ? De Henrico Sueciæ Rege scribit Olaus, quoties nauigaturus pilleum suum jecit, toties ventos habuit propitios & fautores. Non placet hæc confidentia ; timeo cum Siculo apud Olaum lib. 9. ficubus meis ; timeo cum Aristotele querente, se aliquando nauigauisse. At quia : enauigandum est ; nauarchum optimum accipite, illum, qui nouit, sicco vestigio mare rubrum transire, Angelum Domini, & nostrum cuiuslibet tutelarem atque custodem. Hoc Duce, & Tobias olim à Balæna, securi nauigabimus ; hoc, tuti custode, sæui maris tempestatem, euademus ; hoc sub gubernatore Animæ, à portu salutis non aberrabimus. Inter Kikimachos (Ioanne Botero referente) fœmina multis infamis sceleribus, cùm aliquando, post actam de peractis pœnitentiam recidiuâsset, vidit iuuenem pulcerrimum Cruce insignitum, qui eam manu duxit ad loca inferni horribilissima. inde ad purgatorium ignem, tandem in campum Elysium & tempe beatorum amænissima, vbi suos recognoscens paruulos ingredi voluit, Angelo prohibente. Ita ab Angelo Custode edocta mare magnum peccatorum pœnitens enauigauit. B. Ludouicus Rex Galliarum XII. in agone, accito filio, ei monita salutis & maximè ad summi Pontificis reuerentiam spectantia dans documenta, expirat, & super celebrandis prose SS. Missæ sacrificijs memor, expirat, ab Angelis, eius animam portantibus, in portum salutis appellit.

Cantius lib. 4.

Angeli Custodis tutela in morte tutissima.

Theatr. mundi.

In Ma-

In Mari. *Matt. 8.*

Qui mare nauigant ventum benignum exoptant. *Valerius* Almiral P. *lib. 3.* Remius Venetorum Almiral. nauigaturis dicere solebat de maris inquieti submonens procellis: In contrarium ducent. Ne ducamur in contrarium, sed benigno vtamur aspiritu Ethesiarum cælestium, occinamus millies & vltrà :

Veni Sancte Spiritus & emitte cælitus
Lucis tuæ radium !

Sequent. Miss. in Pentec. Idem aliquando precatus est Deum Rex Propheta *Psal.* 142. dicens : spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Hoc fælici Vento Diuinissimi Spiritûs afflata Animæ nauis, non in contrarium, sed promissum nobis æternæ vitæ portum, deducet. Age igitur Auditor, IESVM dulcissimum cum Matre Sanctissimâ promereri tibi assiduâ in eos pietate satage, Angelo tuo Custodi animitus te gubernandum trade, Sancti Spiritûs internas inspirationes exequi animo toto adnitere, in omni perseuerans opere bono, sic hilariùs, & multò securiùs enauigabis. Ad Maiorem DEI Gloriam.

DOMINICA V. AB EPIPHANIIS.

Triticum verò. *Matt. 13.*

Electi Tritico similes.

ELectos tritici nomine expressit hodie vt filios lucis & Regni Saluator noster olim in horreum suum congregandos. Et magna certè est electorum cum tritico similitudo, nam interius Candidi per Animæ puritatem triticeum far æmulantur, exterius Rubei cùm sint, per

patientiam & Crucis baiulationem id ipsum exprimunt rubeum in cortice, Moribus cùm sint graues, & virtutum operibus grano, quod ponderosum est, similantur, sermones eorum pij cùm sint, farinæ vtilitatem exæquant, cùm verò multos per vitæ conuersationem & trahentia exempla Christo lucrantur, multiplicationem tritici præseferunt. Placet Threnorum scriptor Propheta huc adducendus cap. 3. Candidiores Nazaræi eius niue. nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Saphyro pulchriores. Interim triticeam similitudinem prosequamur.

Triticum verò. *Matt. 13.*

ELectorum puritas in Anima far æmulari triticeum optimè credenda cùm niue dicantur candidiores, lacte nitidiores, nec alius candor eorum quàm hæc esse potest, quoniam bèati mundo corde *Matt. 5.* asseruntur ex eo, quod Deum ipsi sint visuri postquàm congregati fuerint in horreum Domini sui. Non vacat mysterio quod de Saul Regni gubernacula primùm capiente refert sacer textus 1. *Reg. 13.* vnius anni erat Saul cum regnare cæpisset. quid hoc ? filius anni vnius ? ita iuxta Doctores erat innocens vt anniculus puer ; triticeæ fuit puritatis, ideò Electus in signum omni homini, non fore vllum de Electorum numero nisi anniculum, nisi puerum, id quòd mirificè dixit *Matt. 5. cap.* Saluator : Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis regnum cælorum. Quàm commodè *Apocal. 21. cap.* nihil coinquinatum in illud regnum intraturum asseritur cùm Electorum Animæ farris nitorem, niuis candorem referant. Ita S. Scholastica in Columbæ specie in cælum Iesu Socio accinente. (Electi vt Pueri puri.) (Iacob Bider.)

Vltima clausisset cùm fata Scholastica, tolli
Candida confestim visa columba fuit.

Qui Electis adscribi cupitis, de Animæ candore solliciti, ò mortales viuite !

Triticum verò. *Matt. 8.*

Rubicundiores ebore antiquo Electos vocat Propheta vt Tritico similes demonstret, rubent enim, dum persecutionem patiuntur, monente Apostolo omnes qui piè volunt viuere in hoc sæculo persecutionem patiuntur *2. Tim. 2. cap.* id quod ipse Seruator *Matt. 10.* commendat, qui non accipit Crucem suam & seruator me non est me dignus. In ferculo Salomonis *Cant. 3.* ascensus dicitur à Sponsa purpureus. Vide Sanctos & Electos Dei, quorum mentibus insidet per gratiam dictus, quomodo rubeant *Hebr. 11.* Secti sunt, lapidati sunt in ore gladij occisi sunt; sic eorum fuit in cælum ascensus purpureus, vis adscribi cum eis à Iesu in æternitate? socius esse stude passionum, vt sis & consolationum, si non occideris pro Christo, sed pateris, Electos imitaris, canente Ecclesia: omnes sancti quanta passi sunt tormenta vt securi peruenirent ad palmam. Huc D. Senensis nobis Catharina passionis Christi Socia:

Cant. 3.

Cingite crudeles, inquit, mea tempora vepres,
Non mea serta mihi, sed tua Christe dolent.

Triticum verò *Matt. 8.*

Electos à grauitate & ponderosa virtutum & meritorum collectione Saphyro pulchriores vocauit meritò Propheta. vt graues ostendens & ponderosos tritici grana æmulari doceret. Hinc in Apocalypsi Ioannis lapidibus pretiosis similantur Electi, cùm de reprobis illud *Danielis 5.* dici possit: inuenti sunt minus habentes, Iusti autem cum Iacob pleni sunt dierum, reprobis occinitur *Apoc. 3.* non inuenio opera tua plena, atque ita in horreum Electi vt frumentum vt triticum, extra reprobi vt palea & Zizania, nam *Esdræ 7.* legitur vacua vacuis & plena plenis. Veniet enim magnus ille Paterfamilias & ventilabit Arcam suam, triticum librans & paleam; & fælix, qui inuentus fuerit plus habens, væ qui inuenietur minus habens; ventilabrum in manu sua. Triticum verò *Matt. 8.* quo, sordida pellat? Quæ vtilitas tritici eadem Iustorum & Electo-

Esdr. 7.

Matt. 3.

Electorum ipsi enim efficiuntur panis mundissimus, quorum operibus delectatur, vt cibo delicatissimo Deus; vnde benè gloriabatur Sanctus Christi Màrtyr Ignatius Leonibus obijciendus: frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus efficiar. De sacra pœnitente Maria Magdalena canit prosa Ecclesiæ à Pharisæo inuitatus, Mariæ ferculis saturatus.

S. Ignatij M. dictum apud S. Hieron.

Quid verò dicemus de tot conuersis ad cor quos Electorum traxerunt exempla? *Eusebius lib. 2. cap. 8.* hist. Eccl. Diui Iacobi Apostoli constantià cum qui se ducebat ad supplicium narrat subito in Christum credidisse & se Christianum professum esse, vnde etiam vterque securi percussus est. Quàm verò volupe est audire D. Laurentium Leuitam cum Sixto Pontifice expostulantem? quo progrederis sine filio Pater? quo Sacerdos optime sine ministro properas? cui consumandorum consortium Sacramentorum commisisti, huic consortium tui sanguinis negas? legamus Sancti Felicis Martyrium cui obuiam factus quidam Christianus, eumque agnoscens duci ad supplicium. Ego quoque clara voce inquit, eàdam quâ iste lege viuo, ego eundem IESVM Christum colo. Itaq; Felicem osculatus cum eo securi percutitur, cuius nomen cùm ignotum esset Christianis, is Adaucti nomine nobilitatus est, quod Martyrij coronâ augeri voluerit. Sed quanti sunt quos meritò Adauctorum nomine nobilitari par esset, qui Sanctorum exemplo Christi Ecclesiam multiplicauerunt? Patet igitur non immeritò Electos frumento siue Tritico olim in horreum Christi congregando comparari; tu Auditor deuote eorum æmulare virtutem, vt non cum Zizanijs quondam in fasciculos colligendis ad cumburendum, sed cum tritico, in horreum æternæ felicitatis, congregeris. Ad Maiorem DEI Gloriam.

Exempla trahunt.

Brev. Rom.

H2 DOMI-

DOMINICA VI. AB EPIPHANIIS.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis *Matt. 13.*

INſinita Sapientia, DEI Filius, etiam in minutiſſimo Sinapis grano Regni ſui cæleſtis inuenit ſimilitudinem Aud, Imò teſte S. Petro Chryſologo: quærens in cælo & in terra, nihil inuenit, niſi granum Sinapis in quo potentiam totam ſupernæ Dominationis includat. An forte ex eo, vt quotquot intuemur etiam minutiſſimas vt granum Sinapis eſt, creaturas, tot habeamus manuductores ad Creatoris optimi cognitionem? certè Regi Prophetæ *Pſal. 18.* Cæli ennarrant, opera Dei; gloriam Dei, ſed quidni Sereniſſimi cælorum orbis prædicarent, quàm granulum ſinapeos ſuo modo & linguâ prædicat elingui? Ita certè loquens audiri videtur: En me granulum ſinapeos, vt id minutum, quàm affabrè, quam mirifice eſſe fecit omnipotens, adeò vt etiam ſuæ cœleſtis Regiæ in me ſimilitudinem inuenerit! ſed hoc alias; interim iuxta ſacri textum Euangelij in quibus eius cum illo inueniatur ſimilitudo, inquiramus. Ad Maiorem DEI Gloriam.

Simile eſt regnum cælorum grano ſinapis. *Matt. 13.*

IN ſimilitudine propoſita granum Sinapeos inprimis minus eſſe omnibus oleribus aſſeruit Dominus. Auditor aduerte ſimilitudinem cæli, hoc enim apud homines, omnibus tranſitorijs, omnibus caducis & futilibus minus æſtimatur, plus cæteris vilipenditur, magis communiter contemnitur, nec alia res aliqua minori curæ eſſe hominibus ſolet maximè inſenſatis, atq; ipſa beatitudo & regnum cælorum. Euangelicus ille

Cælum vno grano æſtimatur.

Rex *Matt. 22.* factâ Coronâ magnâ vocauerat multos ſed nolebant venire inquit ſacer textus. Ecce homines infatuati, nihil minus æſtimant, nil aſperantur magis, quam cælos; eſto uiderit eos Leuita Chriſti apertos clamaueritque dicens: Ecce video cælos apertos & fidelium hominis ſtantem a dextris virtutis Dei Act. 7. Heus fatui & vani filij hominum, ſtantem vobis IESVM prædicat, vtiq; vos illuc vocantem & excipere paratiſſimum. id quod dicebat *Matt. 11.* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. ſed volebant venire. nempè apud homines minus omnibus rebus cælum. Magnus Rex Dauid, Officioſum Berzelai, redux cum pace, vade mecum in Ieruſalem, & requieſce ſecurus, ita inuitabat *1. Reg. 19. cap.* at ille: non indigeo hâc viciſſitudine, moriar in domo patris mei. Ieruſalem ſecuram præ domo Patris ſui periculoſæ inſipienter ſpreuit Berzalai, ſed Homo ipſum cælum terræ & vanitatibus mundi poſtponit, beatitudinem caducis voluptatibus poſthabet, omnibus tranſitorijs vitam æternam minoris æſtimat. Similis Eſau *Gen. 25. cap.* qui edulio vnius lenticulæ primogenita ſua inconſideratus Edom vendidit.

In Vita S Martin Iaco. de Voragine.

Accipite mirabilem duorum mendicorum inuentionem. Dum ſacra D. Martini Epiſcopi Turonenſis tranferrentur Lipſana, mendici duo quorum alter cæcus erat, alter claudus, auditâ famâ ſancti, quia nimirùm meritis ipſius cæci vident, claudi ambulant, timentes, ne & ipſi ſanarentur, & ita ad colligendam & emendicandam ſtipem eſſent minùs accommodi, ex villa, qua tranſitura ſancti Lipſana, rumor erat, aufugerunt. Idem de illa beatitudine apud mortales, toties ſperni & contemni ſolita, eſto iudicium, adeoq; grano ſinapis ſimile habetur regnum cælorum. Alterum in ſimilitudine propoſita de grano ſinapeos dicitur, quia vbi creuerit, maius eſt omnibus oleribus. Verificatur hoc in cæleſti aula quondam numero pauperrima, nunc verò adeò in dies creſcente vt Electorum

Mendici ſtipis gratiâ recuſant ſanari.

turba numerari non possit teste Ioanne *Apoc. 7. cap.* Amabo numera tibi ex omni tribu filiorum Isráël millia duodecim quot illa ? Interim S. Vrsulæ partheno martyris comites Virgines vndecim millia fuisse referuntur. Legio Thebæa sub S. Mauritio Duce 6666. continebat Milites, qui omnes abiectis armis pro fide sancta occubuerunt. SS. Innocentium, centum quadraginta quatuor millia *Apoc.* 14. *cap.* Quid vltrà ? numera stellas cæli si potes Gen: 15 sic erit numerus Electorum. Interim esto granum sinapis cælum esset, adhuc nos caperet omnes teste Philosophiâ sanâ, adhuc etiam pro nobis in domo illa, eia fratres properemus ocyùs ! mansiones multæ sunt.

Multitudo magna SS in cælo.

Tertium simile in parabola Christi est. quia Granum sinapi omnibus fit maius. Ita regnum cælorum, omnibus regnis maius, desiderabilius, pretiosiusque est, securitate, fruitione amabili, Æternitate.

Matt. 4. Saluatori nostro quondam filius iniquitatis Dæmon omnia regna mundi, pollicebatur dicens : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me ; sed turpem repulsam passus, abijt. Sed ô Deus bone ! quot sunt tamen Animæ fatuæ, quæ magnificis huius tentatoris promissis furuum illud Auerni regnum præ regno cælorum amplectuntur ? Rathbodum Regem Frisonum, refert Drexelius, narrant, aureo palatio, quod ater hic Angelus repræsentauit, eò deceptum, vt à D. Vlfrano, fonte sacro iam iam tingendus, pedem reuocârit, mutatâ subitò mente, dixeritque ; nolle se baptizari, sed à morte illuc commigrare velle, vbi se sciret maiorum suorum & plurium amicorum Societate in aureo illo palatio fruiturum. Triduò post aiunt mortuum & quo migrâsse ? ad illud vtique palatium aureum Auernale cælum. Laurentius Surius refert S. Fulgentium Episcopum Ruspensem, cùm gloriam Theodorici Regis triumphantis videret in hæc verba prorupisse. Quàm speciosa potest esse Ierusalem cælestis si sic fulges *Roma terrestris* ? & si in hoc sæculo datur tanti honoris dignatas diligen-

Drexel. Palæstr. Christian.

Frisonum Rex mauult esse cum maioribus suis in inferno.

Surius in vita eius.

diligentibus vanitatem, qualis gloria & honor præstabitur sanctis diligentibus veritatem ?

Non igitur vnius grani sinapeos æstimemus cælum tàm pretiosum, tam desiderabile, vbi tanta, qualia nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, præparauit omnipotens. Exclan mus, porrò cum Franciæ Rege Clodoueo in cælum intenti ; Tutissimus ; qui est in cælo.

Clodoue Regis Franciæ vox.

DOMINCA SEPTVAGESIMÆ.

Ite in Vineam meam. *Matt.* 20.

MVltifariam multisque modis de Vinea Christi locuti sunt vsque hodie plurimi ad quam inuitans Christus ipse, etiam vitis illius, incola illius esse voluit cùm diceret Ioàn. 15. Egosum vitis vos palmites. Quid porrò jussa eius velint dicentis : Ite in Vineam meam ? pace tot diuersorum liceat asserere, non aliud velle ipsum, quàm vt laboremus, eius esse vitis quæ ipse est, palmites ; quod prosequar. Ad Maiorem DEI Gloriam.

VItis quæ vera est, non fert labruscas sed dulcissimas vuas. gustate & videte quàm suauis est Dominus Iesus vitis nostra & vita, quàm magna multitudo dulcedinis eius ! quàm dulcia faucibus amantum & palmitum ex ea sugentium eloquia sua de quibus fatetur Propheta dicens : super mel ori meo *Psal.* 118. Omnia verò siue opera siue verba eius ambrosiam spirant, mel, & lac. Auditor ! si palmes esse vitis, & vitæ huius cupis, dulcia operare virtutum incrementa, labruscas mali operis time, & time esse palmes non ferens fructum, time esse Arbor mala.

Vitis vera facit vuas.

mala, excindi time, & mitti in ignem, nec tibi adulare, omnem palmitem non ferentem fructum iſta manere autuma. Palmes erat Iudas ſed inutilis ſed labruſcam tulit, exciſus eſt, in ignem miſſus eſt, & ardet. O quoties de nobis dolet vera vitis Chriſtus ! dum auellimur, dum ſponte ſecuri vt excidamur nos ſubmittimus, quia vitis vera eſt ; & ideò auulſis lacrimatur palmitibus. Ieruſalem Ieruſalem quoties volui *Matt.* 23. dicebat ſuis quos videbat fore eorum malitiam, eorum culpâ non ſuos ; idem ſuper te ô palmes Anima peccatrix, tibi idem in cæno iacenti inclamat peccatorum, incraſſata es &
Pſal. 34. recalcitraſti *Deut.* 32. tibi dicit palmes infructuoſe, vita & vitis, ſalus tua ego ſum *Pſal.* 34.

Auditor vnum palmiti congruit aut in vite aut in igne vt fere S. Auguſt. tract: 81. in Ioan. ait, dicamus ergo millies, quomodo poſſum auelli, quomodo deſeram vitem & vitam meam Chriſtum ? cum vite loquar millies, quomodo poſſum deſerere vinum eius *Iudic.* 9. amorem eius ? introduxit me in cellam vinariam, potauit me vino ſui dulciſſimi amoris, *Cant.* 2. viuo ego iam non ego, viuit in me Ieſus !

Nunquam adeò ſollicita eſt vitis in ſuis palmitibus ornandis atque in ſuis Electis Ieſus. Et de veſtimento quid ſolliciti eſtis *Matt.* 6. ego qui veſtio lilia campi vltrà Salomonis pelles integam vos, non purpurâ & byſſo, quæ ſepeliuit Epulonem in inferno *Luc.* 16. Sed ambulabitis mecum in albis
Apoc. 3. *Apocal.* 3. Stolas feretis lotas in ſanguine meo, pallium veſtrum vino vuæ tingetur *Genes.* 49. veſtiam vos Stolis albis, ſi modò in me manſeritis. Auditor induamur Arma lucis, abijcientes opera tenebrarum, ambulemus honeſtè, ſicut in die
Pſal. 44. *Rom.* 13. Omnis gloria noſtra, omnis ornatus ab intus ſit *Pſal.* 44. tanquam palmitum, de vite vera germinantium, veſtiantur mollibus voluntatum illecebris qui in domibus Regum ſunt *Matt.* 11. nobis, Regis Regum Ieſus, improperium, ſit paludamentum ſalutare. Vt vites palmites ſuos ſurſum eue-

hunt ſic vera vitis Chriſtus ad gloriam inuitat dum crucem baiulare ſuadet quid ſtatis, inquit, totâ die otioſi ? qui non accipit Crucem ſuam & ſequitur, me non eſt me dignus *Matt.* 20. Matt. 10.
Simus palmites, ſinamus nos trahi, ſurſum trahimur eſto per crucem ſed ad gloriam. Vis palmitem tibi aliquem oſtendam ? mitto cruci affixos vt viti palmites, Martyres mitto & Parthe-no-Martyres, eos conſpice, qui carnem ſuam ipſi crucifixerunt, quia Chriſti erant. Iacobus Anachoreta ne vratur à Venere Sancti pal-
ſeipſum igne vrit, D. Franciſcus in niuibus, in vepreto S. Be- mites ſunt.
nedictus volutatur, Amonius pedes amburit, Ioannes Bonus aſſulas ſub vngues infigit & dolore voluptatem vincit. Omnes iſti palmites erant, ſurſum tracti per crucem erant, pro eo vt & nos dicamus ei : trahe nos poſt te & curremus. Ad Maiorem Dei Gloriam.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Venit Diabolus & tollit verbum de corde. *Luc.* 8.

MArgaritum Animæ ſaluandæ, Chriſti Verbum, formas fur aptus ad omnes, tollere de corde à Chriſto dicitur Diabolus Audit. id quod S. Auguſti- S. Auguſt.
nus tract. in *Pſal.* 54. ad iv. declarans ait : ini- tract: in Pſal. 54.
micus ſalutis humanæ & tenebrarum harum Rector, adeò hominem infeſtat, vt etiam pretioſiſſimum Margaritum Verbi Diuini de corde ſuo tollere teſte Sanctiſſimo Domino præſumat ! vnde Diuus Hilarius homila *Can.* 26. in fine admonet : Vigilare nos Dominus propter aduentum furis admonuit, & orationum aſſiduitate

S. Hilar. hom. com. Can: 26. detentos omnibus præceptorum suorum operibus inhærere, furem enim esse ostendit Zabulum, ad detrahenda ex nobis spolia peruigilem, & corporis nostri domibus insidiantem, vt ea incuriosis nobis, & somno deditis, consiliorum suorum, atque illecebrarum iaculis, perfodiat. Hactenus S. Hilarius Iam verò quid vltra vigilantibus, orantibus & operibus mundatorum inhærentibus opus sit, ne, domo perfossâ cordis humani, tollatur Dei verbum, videamus. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Venit Diabolus & tollit verbum de corde. *Luc. 8,*

SApientissimus quondam Rex Dauid *Psal. 118.* de cordis sui Verbi Diuini arca cautissimus aiebat: In corde meo abscondi Eloquia tua vt non peccem tibi At bone Rex, si abscondisti Verbum in corde, quid vltra custodia ? imò verò si benè intelligimus, ita nobis Rex iste dicere videtur ; Dei Verbum in corde nihil ita custodit cautè, atque ipsum sese custodit Verbum, illud enim ipsum est, quod furem fugat, illud illecebram conterit, illud consilia astuti Dæmonis priùs elidit, quam imbibere nos permittat. Sicut illi qui sumunt antidotum & præseruatiuum ne intoxicari possint, ne veneni malum incautè afflatum noceat, nam potio illa siue Thyriaca præsumpta, sequentis toxici virus refringit, ita Dei Verbum in corde hominis absconditum, pellit contraria, fugat insidias, ne tollatur.

Verbum Dei custodit se ipsa.

Pulcherrimam S. Augustini *Psalmi 118.* verborum quæ sunt: Narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua, lectionem aliam huc aduocemus. Legit autem iste S. Pater, ita: narrauerunt mihi iniqui delectationes, sed non vt lex tua. Iam Auditor attende : lex Dei Verbum Dei auditum, narrat nobis in corde delectationes veras, delectare in Domino, & dabit tibi petitiones cordis tui :narrat autem has, vt non peccemus, sed salui fiamus; interim veniunt iniqui, veniunt cogitationes, carnis tentationes, mundi illecebræ & voluptates, narrant nobis delectationes, sed alias, non vt lex, non quas narrabat Dei Verbum ; hic si admittantur, si eis consentiamus, tollitur

S. Aug. in Psal. 118.

tollitur de corde nostro Verbum Dei. Quód primò Diabolus ipse venire à Christo dicatur, qui furetur ex corde, illius verbum, & Animæ salutare, ità omninò cognosces fieri.

S. Gregorius hom. 16. in Euang. ait ; Caput omnium iniquorum Diabolus est, & huius capitis membra omnes iniqui. Audi me iam : quod omnes iniqui, quod omnia membra Diaboli faciunt, & ipse facit per ea, narrant membra eius delectationes, per eas ergo ipse intendit ingredi vt Verbum de corde tollat. Experientià edocti sunt nostri homines gentem illam vagam Cingaros vocamus, domum aut cautè, aut nullatenùs Cingari admittendam ; cur ita ? Habent suos astûs, quibus incurios cir- deceptores vagi. cumuenire assolent, dum enim alij narrant fabulationes, & quæ nescio, de fortunis augendis, & opibus, deliramenta, alij occupatis ad narrata Domesticis, furantur obuia, irrumpunt in scrinia & Arcas, & sic decæteris. Idem ferè accidit homini cum Dei Verbo in corde recondito: narrant, vt diximus, iniqui delectationes, mentem à Verbi Dei memoria auertunt, ad consensum pertrahunt & gratiam Verbi comitem tollunt aut veriùs per eos Dæmon. Mirabilis aliquando videri potuit pœna quam Regi Ezechiæ irrogauit Deus ex eo, quòd thesauros domus suæ ostentauerit coram nuncijs Regis Babylonis, nam hæc fuit pœna eius *Isaiæ 39. cap.* Ecce dies venient & au- Isa. 39. ferentur omnia, quæ in domo tua sunt, & quæ thesaurizauerunt Patres tui vsque ad diem hanc, in Babylonem. Auditor, qui nuncios Regis Babylonis dicere debebam, nuncios Dæmonis narrantes delectationes iniquas admittit, Verbi Diuini thesaurum facillimè perdit. Hinc proditorem Christi Iudam *Ioannis 13.* legimus abijsse, cùm misisset Sathanas in cor eius. sed Ioan. 13. quem putas misit nuncium in cor eius alium, nisi Auaritiæ concupiscentiam, hac enim stimulatus, immemor Verbi IESV *Matt. 26.* væ homini illi perquem Filius hominis tradetur. nimirum hoc fuit nuncius diaboli, Verbo Dei inhiantibus, consentire, hoc eorum delectationes narratas ad mittere. Seraphicus

cus Patriarcha D. Franciſus, in extremis conſtitutus, dicitur ſibi vulnus lateris, quo cum reliquis mirabiliter inſignitus erat, manu occluſiſſe. Auditor cui putas id bono? an quia Vir ſanctus nouerat Leonem circumire, & quærere quem deuoret? nouerat & hoc. ſed magis Verbi Dei & Eloquiorum, illic abſconditorum putandus timuiſſe pretijs, cùm enim eſſet plenus meritorum, cum D. Gregorio cogitaſſe credendus eſt, quia deprædari deſiderat qui publicè theſaurum portat in via, multâ profectò vigilantia eget hoc Margaritum cœleſte. Plutarchi in vita Themiſtoclis narratio eſt. Cùm ſui Conciues ad littus è mari aſcendiſſent, ibique circa ſpolianda nauigia tempeſtate quaſſata & cadauera occuparentur, ille manibus in ſinum intromiſſis ſpectabat eos. Cumque ab vno aliquo coram irrideretur, quod non colligeret ea quæ vltrò occaſio ingeſſerat, reſpondit: Tu tibi collige quia Themiſtocles non es. Auditor vtinam ſimiles illius eſſemus, dum occaſio auocat, dum illecebra blanditur! certè Dei verbum, & gratiam, cautè ſeruaremus, nec peccaremus ei dicentes: illi conſentiant, illi ebibant noxias cogitationes, qui ſibi præſentem in corde IESVM, cum eius verbo toties audito, neſciunt. Hac Regulâ vſa fuiſſe dicitur D. Cæcilia, quam S. Mater Eccleſia hoc donat encomio: Virgo glorioſa ſemper Euangelium Chriſti gerebat in pectore, & non diebus neque noctibus vocabat à colloquijs Diuinis & oratione. Accipite coronidis loco, in cautos primos Parentes, magnificis ſerpentis promiſſis irretitos, qualiter Dei ſummi verbum ſuſtulerit de cordibus eorum? illud puta: de omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas, in quacunque die comederis ex eo morte morieris *Gen.* 3. Interim ſerpens dixit ad mulierem, cur præcepit vobis Deus ne comederetis ex omni ligno paradiſi? cui reſpondit Mulier: De fructu lignorum quæ ſunt in paradyſo veſcimur de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradyſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tan-

S. Franciſcus moriturus lateris vulnus manu occludit.

Plutarch.

Bren: Rom.

Gen. 3

ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Hic ſerpens vt fur! nequaquam morte moriemini, ſcit enim Deus, quia, in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum *Gen.* 3. O mulier! dixiſſes, tu comede, quia callidus ſerpens, non autem quæ ego, es. verbum Dei præuaricari non auſim, ſed illud etiamnum cuſtodire obligatiſſima cùm ſim, ſeruabo. at tulit de fructu ligni & comedit, deditque viro ſuo, qui etiam comedit. Sic furari ſolet diabolus verbum Dei de corde noſtro; Vigilemus! Ad Maiorem Dei Gloriam.

Aliud cecidit ſupra Petram. *Luc.* 8.

SIlentium Sanctiſſimi Verbi ſui expoſitoribus impoſuit hodie Saluator noſter teſte D. Gregorio *hom.* 15. Quam enim, inquit, per ſemetipſum veritas expoſuit hanc diſcutere humana fragilitas non præſumat, Euangelicam ſcilicet lectionem, in qua ſemen eſſe Dei Verbum, etiam aſſeruit, quod indiuerſis cadens ſeminatum locis, etiam ſupra Petram cecidit. Hos autem Chriſtus dixit eſſe intelligendos, qui ſuſcepto Dei verbo, quia radicem non habent ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Sed an eò recedunt quia radicem non habent, ſed Petræ ſimiles reſilire à ſe Dei verbum faciunt? putarem omninò; dari tam duro corde, vt petra eſt, nouimus certè plurimos, quibus mollificandis Dei verbum non proficit, adeoque nec agit illic radicem, quam in corda eorum mittere duritie obſtante, non ſinitur. Dicam de ſimilibus petroſis. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Gregor. hom. 15.

Noui aliquid ſe dicere ratus eſt S. Iob, cum diceret cap. 14. Lapides excauant Aquæ, id quod pridem habet Pöeta Gutta cauat lapidem! ſed omninò aliquid noui & miri eſt quod fieri è contra in lapidibus viuis, hominumque cordibus videmus, nulla gutta, nulla quantitas & multitudo Aquarum viuentium cauat illa, Verbum Dei emolire ea non poteſt. gutta cauat lapidem, Dei verbum non mouet hominem. En nouitas! en durities!

 Adaman-

Adamantem, ex natura tam duratum, referunt eſſe cum Plinio Naturales, vt nulla vi ferramentorum aut mallei conteri, & concuti poſſit. Tamen ſicut alias ; eſt modus in rebus ; ita eſt modus rumpendi Adamantium lapidem. ajunt enim, ſi hircino perfundatur ſanguine, omninò rumpi. Auditor S. Auguſtino Verbum Dei, non minus eſt, quàm Chriſti corpus lib. 50. hom. 26. vbi ſanguinem per concomitantiam eſſe omnino credimus, tamen adamantinum cor induratorum non emollit ; nimirùm adamante durior peccator &, Agni hujus ſanguine, Pharaô iſte infuſus non vult dimittere captiuæ Animæ lacrymam. quoniam percuſſit petram (Moyſes) & torrentes inundauerunt *Pſal. 77.* Fornaces calcariæ, officinæ ferrariæ & clibani, lapidem & chalybem, & ferrum ſoluunt, & eliquant ; verbum Dei Eloquium Dei ignitum, cor Berzellai, ferrum tuum ô peccator ! non liquefacit ! Congelatos aperit argenteus Nodus, quos nec plumbeus ex fiſtula ænea globus aperit nec gladius, Dei verbum & ſermo Dei viuus omni, cùm ſit penetrabilior gladio acuto & ancipiti non aperit, non penetrat,, ſupra petram cùm ceciderit ! Felicior in ipſis lapidibus, fuit aliquando, quàm in ætatis noſtræ Auditoribus Eccleſiaſtes, Venerabilis Bæda, qui cùm iam caligantibus cæcutiret oculis à puero ad aceruum lapidum ductus, quos homines eſſe ſancto Viro mentiebatur, dum feruentiſſimè prædicans finiſſet, omnis illa congeſtorum moles lapidum, Deo ita iubente reſpondit. Amen. Benè dixiſti Venerabilis Pater !

Adama. Hirci-o ſanguine perſuſu- rumpitur

Venerabili Bæda lapides.

Reſpõdét Amen.

Auditor, Amen, id eſt : finem, omnes à prædicatore Verbi Dei expectant, illud verò quod ſonat Amen, id eſt, Fiat, non optant. Dicat enimuerò Eccleſiaſtes, vtinam ſaperent, & nouiſſima ſua prouiderent omnes operantes iniquitatem ? dicat : apprehendite diſciplinam, nequendo iraſcatur Dominus ; dicat : aut ardendum, aut pœnitendum ! lapides ſunt, ſed non vt illi dicentes Amen. Sapientiſſimi Regum que-

Iacobus de voraus in eius vita.

rela

rela erat & Confeſſio *Prouerb. 30. cap.* Tria mihi ſunt difficilia. inter hæc erat difficilè illi ſcitu, via colubri ſuper petram. Auditor toties Sapientia Dei, verbo illius incluſa, velut coluber ſerpit, & petras cordium noſtrorum pertranſit, ſed quòd eius veſtigium ? nullum.

Pron. 30.

S. Pater Gregorius hom. 10. aliquando contra duritiem Iudæorum : omnia Elementa autorem ſuum veniſſe teſtata ſunt, vt enim de ijs quiddam vſu humano loquar, Deum hunc cæli eſſe cognouerunt, quia Stellam protinùs miſerunt Mare cognouit, quia ſub plantis eius calcabile ſe præbuit, terra cognouit, quia ea moriente, contremuit, Sol cognouit, quia lucis ſuæ radios abſcondit, ſaxa & parietes agnouerunt, quia tempore mortis eius ſciſſa ſunt. Infernus agnouit, quia hos quos, tenebat mortuos, reddidit. Et tamen hunc, quem omnia inſenſibilia Elementa, Dominum ſenſerunt, adhuc infedelium Iudæorum corda, Deum minimè eſſe cognoſcunt, & duriora ſaxis ſcindi ad pœnitentiam nolunt. Hæc ille, Verùm pace tuâ Doctor ſanctiſſime, terribilius aliquid dicam; hunc, quem omnia inſenſibilia, eſſe Dominum, per obedientiam eius verbo exhibitam, recognouerunt, Catholicorum quorundam, indurata & lapidea corda, minimè eâdem obedientiâ venerari, vſque hodie, & ſcindi ad pœnitentiam, duriora ſaxis, volunt. Loquimini ad petram, juſſerat quondam Moyſen & Aäron Dominus ; & ecce dedit petra aquas, non vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris mei qui loquitur in vobis ait Dei Filius ; ſed jubeat quod olim, loquimini ad homines non ad petram, petram, ſed petrâ duriorem, & ſilice reperient, aquam non dabit, non molleſcet.

Gregor. hom. 10.

Num. 20

DOMI-

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ

Ecce aſcendimus Ieroſolymam !

HEus miniſter ſymphoniacos aduoca, & Vinum
funde, largiter, hilariter, abundè ; ſacra enim
Bacchi lubet feſta iucundi celebremus cum
ſæculo. At ! quid Deus bone ? quid loqueris
genialis Anime ? reuerte puer, apage Vinum,
choream omnem abijce, non hæc agendi vltrà
libido eſt, cùm Sancta Mater Eccleſia amaram Sponſi ſui Paſ-
ſionem nobis mœſtiſſima recitat. Noui ingenia ! mundus
quidem tripudiat inſanus, an lucis filij pro gaudio luctum,
pro lætitia aſſumunt leſſum & nænias. Quid ita ? En ſpon-
Exodi 4. Zach. 3. ſus ſanguinum Chriſtus, vaſa colligit, ſarcinis onerat ſeſe pœ-
Cant: 2. nalium, ecce ego cælabo cælaturam eius, en dilectus noſter
Zach. 13. c. loquitur iterum nobis : Ecce aſcendimus Ieroſolymam. ecce
Pſal. 59. in domo eorum qui me diligebant, tradar ad illudendum,
& flagellandum & crucifigendum. Iam Bacchi nepotes, &
diſcoli Bibones, acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes, ad me,
blaſphemè conſpuendum celeres, ad rurſus crucifigendum
ſibimetipſis peccatorum tot ſceleribus. Hanc Solymam adi-
bo, vt hodie iterum crucifigar. Auditor, iniqua actio, muſi-
ca in luctu, moriente Patre lætari prolem, cum matre non
lamentari. Hinc infero rationem legendi hodie iſtud Euan-
gelium, vt tantiſper à peccando abſterreamur. Quod cedat
Ad Maiorem Dei Gloriam.

Ecce aſcendimus Ieroſolymam. *Luc. 18.*

SAlutare amulætum datur peccatoribus, toties redeuntibus
ad vomitum, & cum ſue lota ad volutabrum ſuum reuerten-
tibus à ſapiente : memorare nouiſſima tua & in æternùm non

peccatis *Eccles. 7. cap.* optimè quidem, niſi melius & efficati- Eccl: 70
us eſſet memorari nouiſſima Chriſti IESV, ne peccemus ; re-
cordare enim verò amaritudinem, abſynthij & fellis, quo po-
tus eſt ô ſitibunde potator, repete animo ſciſſuras ſanctiſſi-
mæ illius carnis ô blaſpheme, nec eum vltrà proſcindes, ad-
dens ſuper dolorem vulnerum tela linguæ iniquæ ! certè, quem
memoria Paſſionis diræ Seruatoris ſui non mollit, næ ille ada-
mantimus totus eſt, imò adamante durior ipſo, cùm ille hirci
molleſiat ſanguine & rumpatur, hic ne Agni quidem Imma-
culati ſanguinum memor & amaritudinum, peccatum ea vltrà.
Penetrabat aliquando cor amalij deſertoris ſui (apud Hengel- Engelgr.
graue) annulo inciſa, remiſſo eidem epigraphe : Lamazaba-
thani, ab amica. numquid idem operabitur dulciſſimi IESV
hodie luctuoſum Ecce aſcendimus, ecce filius hominis trade-
tur, ecce flagellabunt eum & conſpuent, ecce cruci affigent
& occident IESVM ? Intuere amabo conſideratione penitâ
in annulis vulnerum, eadam tibi legenda proponit verba : vt
quid dereliquiſti me ? oblituſne ô Homo es Saluatoris & re-
demptionis tuæ ? Lamazbbathani ! paſſionis meæ lectionem
audiſti nec recordaris illius, ſed tibimetipſi rurſus me crucifi-
gis, incraſſate, impinguate dilatate venere & Baccho, dereli- Deut. 32.
quiſti factorem tuum !

Nobilem quondam fœminam (refert Plutarchus) occiſo
per manus iniquotum Viro ſuo, cùm videret poſtliminiò fili-
os vteri ſui de prædicto natos Viro, loco vltionis de parrici-
dis illis juſtè exigendæ, noua & inconſiderata inijſſe cum ijſ-
dem conſortia, mortiſq; optimi Patris amniſthiam iniquè ad-
miſiſſe, arreptâ occiſi Viri veſte, multis quas eidem impoſue-
rant plagis & vulneribus lacerâ, recrudeſcente animi & pe-
ctoris dolore his tam grauibus juxtà ac dolorificis in eos ver-
bis inuectam : O genimina viperarum infœlicia ! Filij Belial
degeneres ! polymitam iſthanc optimi quondam veſtri Paren-
tis agnoſcitis ? quam ebulliens etiamnum innoxius cruentat,

ſanguis ? vos verò, ô dementiam parricidalem, ô iniqua Natorum capita ! cum parricidis, & Patris interfectoribus fœdera nectere ? inire amicitias ? & nouo longequè abominabiliori ſcelere contaminari ? en innocens eius ſanguis, inclamat vos ! & frrro penetrata viſcera parentis obloquuntur ! veſtramquè damnant impietatem ! ſoluite fœdera, mortem Patris vindicate ! Dixit & perſuaſit. Auditor S. Matris Eccleſiæ hodiernum factum fecit hæc mulier. Quid enim videns nos & illa cum ſummis Chriſti hoſtibus & optimi Patris interfectoribus hodie paciſci amicitias, nullus enim peccato fuit prior, aut crudelior IESV parricida, cum quo diuerſimodè ineuntur à nobis conſortia, paſſionem eius, velut recenti conſperſam veſtem ſanguine, arripit, explicat, & noſtris opponit oculis, vt vel ità ab iniquitate reuocet, fata : ô nequam filij ! itane interfectorum Ieſu ſitis ſocij, rurſus crucifigentes & oſtentui habentes ? ponite per vulnera eius, hanc tam iniquam cogitationem nec vlterà peccato & iniquitati communicate. Viuam tam efficax, vtinam omni penetrabilior gladio ancipiti foret iſthæc Matris Eccleſiæ hodie apud omnes nos oratio, vt perſuadeat !

Sæpiùs in eam deueni cogitationem, cùm *Pſal.* 118. meditarer verſiculum Aſpice in me & miſerere mei : quòd eundem ſanctus Rex, vti alios perplurimos, in perſona IESV, vulneribus obſiti, & vulneribus horridi, pronunciauerit. quis enim, meo quidem arbitrio, conuenientiùs dicat, atque Chriſtus paſſus & hærens Cruci ad peccatores etiamnum hodie in omnia illicita & abominanda effuſos, aſpice in me & miſerere mei ? Vide & conſidera ;

Cor transfixum cuſpide Amoris !
Cernisne caput ? decliue caput !
Viden vt cingunt ſpinea ſerta — Ioan. Bot. theatr. mund.
Vſq; ad tenerum fixa cerebrum ?

Cætera pari conſideratione penetrans, ex te, Auditor, ipſe quære ;

quære ; iterumne peccabo ? laui pedes meos, ſenſus meos defigens in conſideratione Paſſionis Domini mei. quomodo ? Dic cum Sponſa *Cant.* 5. iniquinabo illos ? Inlege Moyſis *Deut.* 22. Non induetur mulier veſte virili nec vir vtetur veſte fœmineâ, abominabilis eſt enim apud Deum, qui facit hæc. Deut. 22. Auditor quæramus ex eo : cur abominabilis qui facit hæc Domine ? Ecce, inquit, aſcendimus Ieroſolymam & conſumabuntur omnia, quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis, tradetur enim & illudetur, putà veſte albâ induetur IESVS & ſpernetur, nemo igitur Chriſtum indutus, vtatur aliâ veſte, nemo illudat, nemo ſpernat, hæc enim eſt abominatio magna. Certè cum dolore priorum ſpectare eſt illudi Chriſtum à Bacchantibus Varijs, induentibuſque habitibus Religioſorum, Sacerdotum & Sanctimonialium ſuos ludiones, quæ omnia abominatur Dominus & illuſus Chriſtus. Agite proinde Fratres cariſſimi Chriſtum paſſum pro nobis adoremus, Bacchi feſta mœſto tranſigentes & tranſeuntes vultu & animo, exeamus cum Chriſto extra caſtra ebrietatum, impietatis & libidinum, portemus improperium eius, & nouiſſimorum eius memores, non peccabimus. Ad Maiorem Dei Gloriam.

DOMINICA I.

QVADRAGESIMÆ,

Vt tentaretur à Diabolo. *Matt.* 4.

Adagio fertur communi : facilè qui non reſiſtit ſuccumbit. Et, volentem ſaltare, trahere ad choreas facillimum eſt. Inter cætera fratris Domini D. Iacobi monita & conſilia eſt iſtud *cap.* 4. Iacobi 4. Reſiſtite Diabolo & fugiet à vobis. Hoc mirabile

rabile quod hominibus videtur in resistendo ei & fugando eum dum resistimus, ex D. August. *Serm.* 197. de temp. qui est *Serm.* 2. de Dominica Ta post Trinit. patet: Alligatus est, inquit; tanquam innexus canis catenis, & neminem potest mordere, nisi eum, qui se ei mortiferâ securitate conjunxerit. Tu, te, per voluptates & cupiditates sæculi, conjungere noli, & ille
S. August Ser. 197. de temp. ad te non præsumet accedere. Et vltrà! Latrare potest, sollicitare potest, mordere omninò non potest, nisi volentem. Eccce victu facilis, ecce superatu Hcmo ille debilis qui non resistit, nempe saltare in vitia volentem, facilè est persuadere & contrà, nolentem. De quo Ad Maiorem Dei Gloriam.

Vt tentaretur à Diabolo. *Matt.* 4.

ARmauerat subinde Putipharis vxorem castissimi Ioseph in Innocentiam Caco-Dæmon. cumque solus esset cum sola, cœpit sollicitare Virginem juuenem suum Dormi mecum
Gen. 39. *Gen.* 39. ingeminando. Quid Ioseph? noluit rem nefariam admittere, cœptus resistere dixit: Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, præter te, quæ vxor eius es, ignorat quid habeat domi. Auditor quid est dicere ignorat quid habeat domi? putarem, non vxorem sed meretricem, sed turpem Amorum lasciuorum pellicem. At repetit illa tentationem, Ioseph, pariter resistit dicens: quomodo possum hoc malum facere & peccare in Dominum meum? nec his tamen tutus erat nam vim faciens illa pallium arripit, iuuenis verò sanctus relicto eo in manibus lupæ fugit. Auditor. pulcra est fuga, fugere à facie peccati vt ipsa victoria. facilè succumbit qui non resistit, & contrà. In paradyso voluptatis & domo Deliciarum, hominum Parentes seruabat Deus *Gen.* 3: Hos aliquando aggressus est tentator & mulieri dixit: cur præcepit Deus vobis ne ederetis de ligno scientiæ boni & mali? & illâ reddente, ne fortè moriamur, mox intulit, nequaquam morte moriemini scit enim Deus, quia quocunque die comederitis ex
Gen. 3. eo, Eritis sicut Dij! quasi diceret, similes sibi vos fieri non

vult

vult Deus, ideò prohibuit ne ederetis de fructu ligni dulcissimo, qui vos faceret omninò similes Deo. Ecce tibi. vt Diuinitatis titulum mulier ambitiosa audiuit, tulit de fructu ligni & comedit deditque viro suo & comedit. Iam quæritur an vim passi fuerint? at minimè vllam, volentes tracti sunt.

Magnum Antonium refert B. Athanasius in eius vita cùm à Dæmone tentatore etiam cæsus & pœnè enectus esset ex eò quòd strenuè restiterit, doluisse maximè quòd Deum sibi præsentem in tali certamine cognoscere non potuisset. Victor ex prælio, dum cælum suspicit Antonius, cælo aperto Dominum vidit & exclamauit: Vbi eras: bone Iesu, vbi eras? quare non à principio affuisti? vt sanares vulnera mea Cui Christus: Hîc eram Antoni, sed expectabam videre certamen tuum, nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi & faciam te in omni orbe nominari. difficulter vincitur qui viriliter dimicat & resistit. S. Antonius vicit tétationé.

Susannam deperibant senes nequam, visamquè in pomerio solam lauantem se, aggressi sunt, de re nefanda, tentantes, Renuit castissima Turtur & cùm alia arma deessent, exclamauit voce magnâ nec sceleri oblato consensit *Dan.* 3. Multùm Dan. 13. est nolle Auditor, fœmina modò nolit, non opprimetur, & quicunque dimicat pro virili, Deo adiuuante, euadit victor. Ita S. August. in *Psal.* 34. luctantem te cum carne considerat Deus hortatur vt pugnes, & adiuuat vt vincas, & certantem inspectat, & deficientem subleuat, & vincentem coronat. facilè trahitur volens. Hinc perelegans est Iesus socij nonnullius de S. Bernardo ab Hospita in rem nefariam lacessiti & consentire nolentis, imò iteratis vicibus Latrones adesse vociferantis & accensâ face, quos ad esse clamabat, Latrones requirentibus socijs, agniti Encomium: S. Bernardus exclamat: Latrones. Latrones.

Tolle tuam tibi turba facem, puer iste videri Bider.
Clariùs à nobis, iam sine luce. potest.

Nobilitas Regni Poloniæ libera, si quando, Rex aut Senatus

K3 Regni,

Regni, eam, per propositiones in rebus libertatem auream lædentibus de assensu sollicitet, vernacula sua respondere solet *nie pozwalamy* non assentimus. Auditor. Facilis descensus Auerni sed volentibus; è contrà, vnum non assentio totam Auerni conterit machinationem. Eliefer Abrachæ seruus Rebeccam Isaaco in matrimonium suasurus tale fecit votum *Gen. 24.* puella cui dixero da mihi bibere de hydria tua, & illa dixerit: bibe Domine mi, quin & camelis tuis potum dabo ista est quam præparauit Dominus Filio Domini mei. Et ecce Rebecca, cuiinter nuncius: da mihi bibere. & illa: bibe Domine mi. ait, & reliqua vt optauit: Redit nostro proposito; facilè est trahi volentem. Igitur resistendum est identidem, & Deo assistore fidelissimo pugnandum, & quod *1. Petr. 5. cap.* monemur, in sobrietate & vigilantia rugienti passim Leoni & incautos deuorare quærenti, fortiter in fide resistendum, sic non euincet nolentes.

Nie pozwalamy. | Gen. 24. | 1. Petr. 5.

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. *Matt.* 17.

TRansfigurationis Dominicæ mysterium S. Leo considerans ita celebrat Serm. de illo festo? In hoc spes Ecclesiæ fundabatur, vt totum Christi corpus agnosceret quali esset commutatione donandum, vt eius sibi consortium membra promitterent honoris, qui in capite præfulsisset. puta, sicut facies Christi resplenduit instar solis, & vestitus candori niuium fuit æqualis, ita fore & Electorum, qui huius

S. Leo ser. de Transfigurat.

huius capitis. ideft: Christi sunt membra. Et de claritatis quidem luce *Matt.* 13. expresse legimus: fulgebunt Iusti sicut Sol. De niuium autem candore *Matt.* 28. habetur vbi Angeli aspectus sicut fulgur & vestimentum eius sicut nix fuisse describitur, Angelis quoque similes Electos ipse Christus fatetur futuros in cælo, de quibus alias; interim quid niuium candor videamus. *D. Gregorius hom.* 21. In niue autem, inquit, blandimentum candoris, est. Niueam igitur vestem quâ blandiri Domino possimus candidi comparemus, id quod erit. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Matt. 13. | S. Greg. hom. 21.

Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut Nix.

PHilosophorum opinio est, Niuibus albedinem à frigoris contrario induci, est Nix vtique pluuia gelata, frigore coacta. Iam de Niuea veste, Christi membrum, Anima deuota audi, frigus inducit niuibus candorem; idem operatur in Anima Timor Domini, qui timet Deum faciet bona *Eccl.* 15. & qui cum Rege Propheta à judicijs Dominicis timet *Psal.* 118. non facilè Animæ vestem peccatorum næuo aliquo inficit.

Psal. 118.

Naturale est, vt terrore perciti, aut timore præuenti tremamus, & quoddam, si licet dicere, frigus intra nos sentiamus. Quàm benè Sapiens *Ecclesiast.* 7. ait, in omnibus operibus tuis memorare nouissima tua & in æternum non peccabis. sed custodies vestimenta tua candida, ampliùs enim lauabit te ab iniquitate tua, & à peccato tuo mundabit tremor & timor judiciorum Dei, quia sunt abyssus multa. Sicut enim pluuiæ guttas coagulat in Niuem frigus gelidum, non sinens vltra diffluere, ita Timor Dei refrænans hominem ab illicito vsu membrorum sensuumq; externorum, non sinit eum in vanitates & insanias falsas & varia peccatorum inquinamenta delabi. Vt proinde niuium candorem, in quo blandiaris Domino, compares, Deum time *Ecclesiastæ in cap.* monente scripturâ & mandata eius obserua.

Eccles. 7. | Eccl. 12

Miraculum idiotis faciunt albissimæ Niues dum mirabiliter colorant

colorant imò vestimenta candidiora ipsâ Niue denigrant. Neoterici Physiologi in terreos humores, quorum Nix habet plusculum, referre consueuerunt. id enim exhalatio terræ quoti-
Col. 3. diana luculenter testatur. Auditor Qui Niueus est ab intus cum IESV, terreos caueat humores, caueat à piceis mundi vanitatibus, caueat à socijs; terram, vel ea quæ super eam sunt, sapientibus. Erant aliquando Nazaræi Isräel niue, vt refert *Thr. 3. cap.* Propheta, candidiores, sed subitò facies eorum affirmat denigratas super carbones & non cognitos in plateis. Abbati Gilberro hoc loci non esse cognitos in plateis, est non ampliùs reputatos fuisse pro Nazaræis. ita nimirùm cum niueis agitur Christi membris, maximè si non ea quærant, vt monet Apostolus, quæ sursum sunt, facillimè enim insordescit à terrenis illa Anima, cuius conuersatio in cælis propria est. Hoc tertio redux de cælo aiebat putem Apostolus, datus est mihi
Cor. 12. stimulus carnis meæ Angelus Sathanæ qui me colaphizet. *2. Cor.* 12. Blandimentum candoris in Anima niuea, sancta cum sanctis conuersatio! Qui diu per niues gradiuntur, domum reduces aut conclaue ingressi nil omninò discretim vident, & objecta ægrè adeò vt sunt, recognoscunt Thomæ Stapleti insignis hæc similitudo est dicentis: qui per mundi prospera, diu, in delicijs, diuitijs, honoribus, ambulant, dum intrare januam cœlestem incipiunt nihil vident attoniti repentinâ mutatione. Et nonne Discipuli hodie ad gloriæ Christi fulgorem attoniti nihil vidisse nisi solum IESVM dicuntur? Fœlices oculi qui Niueam Christi vitam speculantur ad imitandum, illic oculorum hebetantes aciem, ne vltrà quidquam præter eum videat Hoc niuei candoris blandimentum, Christi membra comprimis decet, vt secum digni sint in albis ambulare. Venatorum inuentio est brumali tempore, ope Niuium cœlo recens deciduarum feras inuestigare, quà, enim, cunque præ-
Niues vestigia repræsētāt. tereunt, pressa in niuibus vestigia produnt. Niueus es Auditor deuote? cordis, Animæ, & conscientiæ tuæ Niues quæ-

cunq;

cunque ferarum percurrerit, mille testes conscientia omnes è vestigijs eorum prodet; siue ergo Leonem iratum, siue astutam vulpem in dolis proximorum, aut etiam rapacem alienæ rei lupum Niues tuæ admiserint, caue vestigia ipsis imprimenda, caue candori vt in eo sit blandimentum creatori tuo! Interim cum Rege Propheta *Psalmi* 50 versiculum occinamus IESVM hodie in vestimento sicut Nix albo apparentem deprecantes, laua nos gratiæ tuæ affluentis imbre, & super Niuem dealbabimur. Ad Maiorem Dei Gloriam.

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Erat IESVS eijciens Dæmonium & illud erat mutum.

Luc. 11.

HActenûs Virtuti dabatur silentium Auditores, adeò vt etiam illo laudari Deum S. Hieronymus censuerit, qui illud *Psalmi* 64. Te decet hymnus Deus in Sion interpretatus est: Tibi silentium laus Deus in Sion. Paraphrasis autem Chaldæa ferè similiter habet: coram te reputatur sicut silentium laus in Sion. At hodie silentium damnatur velut Sacrilegum, tacere enim & reticere peccata ad Christi in mysterio pœnitentiæ Tribunal, sacrilegium omninò esse tenet Sacrosancta Mater Ecclesia, eijciendum est Dæmonium mutum, detegendum omninò tibi notum, & à te commissum peccatum, cujus abominabilem reticentiam vtinam iterum, vt anno superiore, cum pari Animarum multarum lucro, simplici hoc sermone, quem repeto, ostendam, vestris precibus ad Dominum, adiuuate.

Silere in confessione peccatum, est sacrilegū.

Sacri-

SAcrilegium committere silentes peccata sua quorum sunt
Act. 5. c. conscij pœnitentes, summus Christi Vicarius quondam in A-
ctis Apostolorum *cap.* 5. non tam ratione, quàm terribili co-
rum & subitâ morte. dum enim Ananias & Saphira vxor eius
essent fraudati de pretio Agri, cadentes ad pedes eius sigil-
latim expirarunt. Anania cur tentauit Sathanas cor tuum,
mentiri te Spiritui Sancto ? & fraudari de pretio agri ? nonne
manens tibi manebat & venundatus in tua erat potestate ? qua-
re posuisti in corde tuo hanc rem ? non es mentitus homini-
bus sed Deo. audiens autem Ananias hæc verba cecidit & ex-
pirauit ! Interim post tres quasi horas vxor facti de viro suo
ignara dum interrogatur. Dic mulier si tanti agrum vendi-
Act. 5. c. distis ? & respondet, Etiam tanti, confestim cadit ad pedes A-
postoli, & expirat. Item quàm peccaminosum sit ad tribunal
pœnitentiæ reticere ! quantum piaculum mentiri !

Et vnde putas tam amantes verborum homines isthîc fieri
elingues, & mutos pisces dicam an silices ? pudorem existimo
assignabis artificem huius silentij, sed rusticum ego illum vo-
co ; verecundia, præcedere debet peccatum, & non subsequi ;
quid enim rubes, dum venit fateri, quod non erubuisti face-
re ? Diui Bernardi hîc auscultemus narrationem. Transibat
Mellifluus iste Doctor Paphiam, in Dæmoniacum terno infes-
sum Dæmone, incidens, quorum nomina Christi nomine adju-
ratorum fuerunt : primi nomen Claudens Marsupium, secundi
S. Bernar- claudens os. tertij claudens Cor. Nam, ajebat primus, ego
dº Dæmo- induco homines ad peccata quibus adjuncta est Restitutio,
nes cogit qualia sunt, rapinæ, furta, vsuræ, doli, sacrilegia, decimarum
sua nomi detentiones, injuriæ, detractiones, in hæc veró postquàm in-
na edice- duxi hominem, claudo Marsupium, dissuadens omnimodè Re-
re. stitutionem, prætendens mille motiua in contrarium, ipsamq;
adeò impossibilitatem, Tum ait alter : Meum est homines
peccatis inficere, quorum pudet tum, cùm iam perpetrata sunt,
qualia sunt peccata carnis & similia, & talibus soleo os clau-
dere,

dere, & ante peccatum, quem abstuli pudorem, reddere, vt
præ illo metuant confiteri similia pudenda. Tandem fatur ter-
tius ; mihi incumbit passim homines in omnia Deo exosa pec- Antonius
cata indiscriminatim inducere, & cor eorum infatuare & oc- de Vercel-
cludere, ne fortè recogitent tremendum Dei iudicium, gehen- lis ser. 57.
næ incendia, pœnam damni & sexcenta damnationis tormen-
ta. interea Dei Misericordiam infinitam propono, illam quæ
etiam maximos peccatores ad vnius emissionem spiritus & ge-
mitus aut lacrymæ clementer recipit & saluat. Aduerte quid
nostram sacrilegam reticentiam efficiat, nouit vtiq; malus ille
Angelus, se per veram & sinceram peccatorum Confessionem
eijci ab Anima quam insedit, cùm in peccatum lethiferum in-
duxit, teste S. Basilio Magno : fle super peccato, peccatum est
magnus Dæmon. quia diceret, numquid flebunt parentes si Fi-
liam suam malo insessam Dæmone agitari conspexerint ? non-
ne egredientur vt Chananæa Mulier *Matt.* 15. fines suos vt
quærat Medicum & media ne vltrà filia vnica torqueatur ? ita
vel maximè. quin igitur tu quoque facis idem ? quid com-
primis labia, dum Animam Dæmone magno peccatorum tor-
queri & eluctari sentis & gemere ? quin te ad Christi Vicarij
pedes citus abijcis ? ejecturus ab Anima tam grande Dæmo-
nium ? quod retinuisse intra te & reticuisse ad fores pœniten-
tiæ quanti piaculi sit & periculi audi ! Refert insignis scriptor
Del-Rio. Catharinam ex India magnæ cuiusdam Domicellæ
famulam, quæ petulanter viuens sæpiùs mutilam eamque sa-
crilegam peragebat Confessionem in qua tacebat malè, quod
dicere fuerat saluti Anno 1590. in morbum incidit, patrem Notabile
spiritualem adesse petijt, verùm neque tum omnia quorum exemplum
fuit omninò conscia fassa est, vti postea cum risu familiæ retu- de Reti-
lit. Inaudiuit rem detestabilem Hera, mox grauius obiurga- centia.
tam suadet ad frugem vt redeat, reuocato Patre spirituali, exo-
mologesim dictis ritè & integrè peccatis, vt iteret ; cui Catha-
rina : Domina mea dum confiterer peccata, sinistris mihi ad-
stitit

ſtitit niger quidam Æthiops ſeueriſſimè inhibens ne omnia dicerem peccata, à dextris verò vidi etiam Diuam aliquam quaſi S. Mariam Magdalenam me nutibus orantem & monentem ad integrè confitendum. Territa Domicella Confeſſarium aduocat, omnimodè inſtat vt integrè confiteatur commiſſa, nec quidquam eorum quæ meminit ſe perpetrâſſe, reticeat. Interim Catharina nec dulciſſicimum IESV nomen à Confeſſario ingeminatum audire, nec eius Cruci affixi Imaginem intueri velle, at, ſuos turpes Amores, & Adonidem occinere, tandem poſteriore nocte accitâ famulâ Dominam aduocat, eius de non confeſſis toties peccatis ſeſe torqueri conquerens aperit, hîc orant ſummis omnes miſeram precibus, velit ad IESVM conuerti, dolere de commiſſis, fateri omnia coram Sacerdote; at illa quis eſt ille IESVS ? illum ego non noui. His æternùm arſura expirauit. Tandem à tam execranda & horrenda morte apparuit familiæ, quâ in fugam conuersâ, quædam audentior ancilla perſtitit, Dei nomine inuocato. Cui Catharina : ne timueris, toties enim vocaui te. Cæpit interim flamma & ignis & ſulphur fremere & igniri tota, ad quæ ancilla ô bone IESV quis te non formidet ! Et ecce Angelus in ſpecie Iuuenis pulcherrimi, manu tactâ ancillæ, adſtitit dicens : ita ; & quæ audieris ab illa diligenter obſerua. Tum illa : ſcito me damnatam æternùm ob reticentiam peccatorum in Confeſſionibus, Dei autem permiſſu huc miſſa ſum, alijs hæc dicere & annunciare, tu verò diſce, peccata non reticere.

Del-Rio diſq. Mag.

Threnorum ſcriptor *cap. 4.* dicebat : Maior effecta eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum. Quid illo peccato abominabili eſſe poſſit grauius inter ſcelera, SS. Patrum eſto iudicium. mihi certè ſacrilegum ſilentium & voluntaria peccati notabilis reticentia in confeſſione, par omninò videtur. Qua propter amabo te, reuela, vt *Pſal. 36.* monet Rex Propheta, Domino viam tuam. quod D. Ambroſius exponens ait : quis reuelat Domino viam ſuam, niſi qui Deo ſuo, occultorum ſuorum arbitro, interna ſui pectoris confitetur ? Eſt autem Metaphora ab eo ſumpta qui longâ viâ redux narrat Amico vitæ ſuæ casûs ſeriem & varietates. Eijce Dæmonium in Anima latitans quid vltra ſiles ? Eijciuntur Dæmonia inquit S. Bernardus, cùm eradicantur è corde peccata. Quid ita ? S. Gregorius de Maria Magdalena : ſeptem Dæmonia Maria habuit quæ vniuerſis vitijs plena fuit de qua Chriſtus *Luc. 8.* ſeptem Dæmonia eiecerat. Hinc ſanctus Rex *Pſal. 140.* Non declines inquit, cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Caſſiodorus : ſicut faciunt homines, homines verò illi maximè qui ex ſupina malitia, etiam interrogati, examinati, ſciunt ſe admiſiſſe, negant admiſiſſe.

Thr. 4. c. Pſal. 36. Luc. 8. Pſal. 140.

Auditor ! ô quàm bonum eſt confiteri Domino cuius perſonam dum gerit confeſſarius, confitenti miſeretur & dimittit Dominus, tacere autem quid eſt niſi gehenna ? frontoſus fuiſti in peccando ? frontoſus eſto in confitendo. Ad Maiorem Dei Gloriam.

DOMINICA LÆTARE.

Manducauerunt. *Ioan. 6.*

ETſi Dominica hodierna communi eaque recepta appellatione dicatur Dominica Lætare, quaſi iucunda & gaudiorum plena, nihiloſeciùs tamen Chriſti Sponſa Eccleſia habet nominis huius cauſas, præter Abrahæ exultantis gaudium, & lætitiam. Et primò quidem vocari Lætare meruit, quia hâc voce læ-

ce lætitiam imperante SS. Missæ infit officium, cuius Introitus est : Lætare sterilis. Deinde iucunda vocari potest, à Christi tot millia pascentis, conuiuio. Postremò ex mystico S. Eucharistiæ præludio, in qua sub vna specie, corpus & sanguinem, in pignus vitæ æternæ, sumimus. De his, Ad Maiorem Dei Gloriam.

Nominis hodiernæ Dominicæ occasionem attulit SS. Missæ Introitus, qui est Lætare sterilis, quæ non paris. Auditor, qui putas cum sterili ista lætari iubentur ? an qui nondum cæperunt cum Domino nostro dies 40. ieiunare ? Minimè certè, num putemus rectè eos cum Domino fore socios lætitiæ Nō omni-& consolationis vti *Cor. 10*, ait Apostolus qui non fuerint sobus canitur cij ieiuniorum, tristitiæ & passionis ? contrariorum sanè eadem Lætare. est semper disciplina, An forte lætari hodie iubet Ecclesia iniuriosos proximorum osores & Ioanne teste homicidas ? mihi quidem foret mirabile, si cum Christo potiretur gaudia, qui nunquam lætatus est de peracta Iustitia, quæ dat vnicuique quod suum est. Andemum duplici corde hæc vox insonat Lætare sterilis quæ non paris ? steriles sunt, & timeant ne excidantur. Porrò lætate illis dicitur, qui steriles benè sunt, nec multiplicare peccata, per opera iniquitatis, condidicerunt. Illa illa Anima hodiernum audit Lætare quæ illi semper fuit Psal. 7. contraria de qua *Psal. 7.* quæ parturijt iniustitiam, concepit dolorem, & peperit iniquitatem. Imperatur hodie Lætare sanctis & Electis animabus. Lætare igitur hodie Christi Mater Sanctissima, Lætare Nutricie, Præcursor innocue lætare, cum vniuerso Innocentium choro, & Iustorum exercitu, agite dies lætitiæ & confitemini illi *Tob. 13.*

Eiusdem nominis Lætare causam dedit Christi conuiuium Matt. 14. vbi Matthæo teste *cap. 14.* Manducantium fuit numerus 5000 Virorum exceptis mulieribus & paruulis. O quàm læti eius conuiuæ fuerunt, stupentes omnipotentiæ manum ! quàm hilares Discipuli fragmentorum lectores & in ipsam eius Diuinitatem mentis aciem intendentes ! Vbi eras etiamnum tentator nuperrime ? vide non lapides, non terram, quàm tu serpens callide comedere jussus *Gen. 3.* in pœnam, sed pauperes Gen. 3. 4. suos saturauit panibus ! nempè hîc etiam prodire Saluator debuit, vt ita panis de cælo descendens agnosceretur, qui cùm in domo panis natus esset, non est agnitus, nam & mundus eum non cognouit. Lætitiæ certè dies ista quâ sub specie panis Ioan. 1. nobis mysterium imò sacrum conuiuium præfiguratur. Confunduntur hodie non lætantur qui appendunt pretium suum Isai. 51. & non in panibus neque in saturitate *Isaiæ 51.*

Deniq; Lætare hodiernum Catholicis meis conuenit; quia Sanctissimi Altaris Sacramenti, quod à viatoribus sumendum sub vna specie est, figura, hoc conuiuium fuit. Hinc nulla potiùs mentio facta in Euangelio hodierno quia in sumptione Eucharistiæ sub specie vna concomitanter sanguinem innuit, id quod S. Vincentio à Valentia adscribimus, qui mirabiliter S. Vincēt. & miraculo refectos sine potu asserit conuiuas Christi. serm. 1. Dominicæ 7. post Trinit.

Siquis diffidentium, cuius palato non est hæc nostra disserta-tio, obiecerit quidpiam, eum ad amata Christi Domini verba. Bibite ex hoc omnes remitto, doleant se non bibisse, quia nec præsentes fuerunt. Interim cum à sancta Matre Ecclesia lætemur olim sterili, nunc verò, Christi gratiâ, Matre Filiorum lætante. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Venerunt vt raperent & facerent eum Regem.

POst sacras epulas esto fugere velit Christus, tene, nec dimitte eum, sed Animæ tuæ fac eum Regem Auditor. *Gen. 32.* Gen. 32. luctatus cum eo Patriarcha Iacob, & ob Auroræ appropiantis vicinitatem, rogatus vt se dimitteret, non fecit, sed intulit conditionem, non dimittam te, inquit, nisi benedixeris mihi. Et benedixit ei teste scripturâ, in eodem loco. Auditor idem faciant sumptis mysterijs fideles, non dimittatur fugitiuus Christus, detur ei Regia in Animæ domicilio, regnet in eo, nam, non ideò felices quia manducauerunt, sed si, quod intentio-

tentionis erat, fecissent eum Regem. Quod nos, Ad Maiorem Dei Gloriam.

Venerunt vt raperent & facerent eum Regem.

Gloriatur in *Canticis* 3. *cap.* Sponsa tenui eum, dicens, neque dimittam. cui porrò bono? Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suauitatis. sciui esse Regem, vt esset etiam meus Rex, acceptâ Nardo, in Regem Animæ meæ vnxi eum. Venerabilis Bæda in *30. Cant.* Tantò instantiùs inuentum tenui, quantò tardiùs quem quærebam inueni. Quærebam illum sed non inueniebam, inuentum igitur tenui neq; dimittam, dicam ei cum Iesu socio.

Herm. Hugo voti 2. lib. 2.

Non ita discedes non tam citò liberabibis.
Non nisi regnando viceris, effugies.

Amabo, quoties te satiat & suum conuiuam facit IESVS, fac eum Regem nardus tua, vita tua, det ei odorem suauitatis quo perunctus regnet in te. Verùm quid agimus? plerumq; dum Regem eum facere intendimus, & regi ab eo desideramus, non auro, non flore, sed spinis redimimus eum! inde & fugit à nobis, longè enim à peccatoribus salus *Psal.* 118. volens vtique & expectans vuas, dum facimus spinas, quia sub Rege Iustitiæ, iniustitiæ, sub Rege Virtutum iniquitati, seruimus.

A cæna vltima hymno dicto, inquit, Euangelista exiêrunt in montem olиueti *Matth. 36.* multi hoc pro danda Eleëmosyna à sacra mensa in pauperes olиui instar effundendæ accipiunt. Sed *D. Aug: tract: 33.* in Ioàn. In montem vnguenti ait, in montem Chrismatis id est vnctionis. Ergo â sacra mensa ducendus est Christus in montem Vnctionis, ibiq; vngendus in Regem oleo lætitiæ, quâ tunc vngitur, quando peccator à malis conuersus in virtute exercetur. Solent Regum frontes oleo inungi, tu Iesum duc in montem oliuarum tuarum, vt dicat: Ego autem constitutus sum Rex ab eo super montem cordis, montes vtique *Psal.* 124. in circuitu eius &

Regû sĩo te vnguû tur:

Domi-

Dominus tanquam Rex in circuitu populi Electorum, id quod *S. Ambr. lib. 2. in Luc:* insinuat.

Rapiebatur aliquando *Isa: 3. cap.* quispiam ad regni gubernacula, sed reponebat: Non sum medicus, non est panis in domo mea, nolite me constituere principem populi. Non time Christo tuo hæc, Rex iste omnium diues est in omnes, qui vngunt eum, sanat enim contritos corde vt Medicus, & alligat contritiones eorum *Psal.* 146. Nam Pater æternus misit verbum suum, id est Christum, & sanauit eos *Psal.* 106.

Isai: 3. 6.

Panis in domo eius est, vbi etiam mercenarij *Luc.* 15. abundant panibus, nemo, ne prodigus quidem fame perire sinitur, nisi omnis gratiæ prodigus sit, nec conuertatur ad se & cor, sub panis enim specie se dat totum totus. Igitur inclamandus est: esto Rex, esto Princeps noster ô Deus abscondite! Dices nouit fugas suas Christus facilè ipsis elabitur è manibus. *Luc.* 24. In Emaunte agnitus in fractione panis à Discipulis, euanuit ex oculis eorum. Amabo te numquid teneri potuit? fortâsse. Ergo tu eum mox in Sacra panis sumptione corona, plora cum lignis Libani *Iudic.* 9 veni Domine & impera. At oportunum mihi lignorum Libani venit negotium, dum enim ab omni ligno eorum sperneretur principatus, vnicus Rhamnus, eorum acceptaturus imperium, si verè ait, me verè Regem vestrum constituitis, venite, & sub vmbra mea requiescite. Auditor, transi & tu superbos mundi, carnis, Dæmonis fasces, Rhamnum mox à Iudæis spinis coronandum IESVM adi, ora eum: Esto Domine Rex meus, impera mihi! certè audies, si vere me Regem constituis, veni, sub vmbra mea, Cruce, tormentis, & Passione conquiesce, dic cum Amante *Cant.* 2. sub vmbra illius quem desideraueram sedi. esto enim Ramnus, paruam videatur vmbram proijcere, IESVS certè adeò reficit, vt Anima deficiat! Audi Honorium apud Del-Rio. in *cap. 2: Cant.* Vmbra fit ex corpore & luce, & est itinerantium refrigerium ab æstu, & protectio à tempestate.

Luc: 24.

Arbor

Arbor vitæ, ſcilicet Mâlus, eſt Sancta Crux: fructus eius Chriſtus, vmbra tutela vel refrigerium humani generis. Quid vitrà Regem quæris?

Crucisfructus eſt Christus.

Eccleſiæ mos eſt, vt pro quolibet feſto in Matutinis Inuitatorium canat in quo ad Chriſtum tanquam Regem & Sponſum ſuum fideles conuocet. & in feſtis quidem Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum ferè eadem omnes aduocat ſalutatione, Regem Apoſtolorum, & ſic ſingillatim, Dominum, venite adoremus. At quando venit Sanctiſſimi Feſtum conuiuij, in quo Chriſtus ſumitur, tum demum: Chriſtum Regem adoremus dominantem gentibus, qui ſe manducantibus dat Spiritus pinguedinem. Auditor quæ mutatio? Regem ſuum adorare inuitaris qui tuus eſſe vult modò eius repleri velis pinguedine, rex tuus eſſe vult modò regi velis! 1. Reg. cap. libro I. de Rege Iſraël primo à Deo Electo dicitur, lætatus eſt ibi Saul & cuncti Viri Iſraël nimis. cur lætati? ex Electione Regis. O igitur & nos lætemur Chriſtum Regem adorantes hodie qui hâc à Lætando die, non panem ſed ſemetipſum Eccleſiæ filijs dat in cibum & potum ſpiritualem.

Singulare Inuitatorium pro Festo SS. Corporis Christi.

Ite domum ſaturi iſtiq́ hæc inſcribite monti:
Hic Deus his epulis contulit ipſe manus!

Diſcubuerunt ergo Viri numero quaſi quinq; millia.
Ioann. 6.

Non videntur conuenire de numero conuiuarum Chriſti Euangeliſtæ Aud. Ioannes numero quaſi quinq; millia Virorum; Matthæus verò plurima innuit millia, dum enim cap. 14. ait: Manducantium verò fuit numerus quinque millia virorum exceptis mulieribus & paruulis, multò maiorem fuiſſe innuit, ſi mulieres & paruuli numerarentur. S. Cyrillus ait non eſſe morem ſcripturæ niſi Viros numerare id quod fecit & Moyſes qui mulieres & paruulos non numerauit. Certè vti turpe ſit fœminarum ſupplere ſummam, vbi Virorum eſt adeſſe, ita nec laudabile, ætate noſtrâ, ad opera pietatis, vti ſunt inclinatiores

Mat. I

tiores præ Viris fœminæ, ſolas adeſſe; vt videre eſt ad ſacram communionem, ad publicationes. meræ fœminæ, meri paruuli, & qui excipiendi, illi omninò ſoli, numerandi. Quapropter & hunc diſcurſum mihi perſuaſerunt ad commendationem Virorum qui dum adſunt, ſoli numerantur. Ad Majorem DEI Gloriam,

Diſcubuerunt ergo Viri numero quaſi quinq; millia.

Nuptiæ factæ ſunt in Cana Galilææ *Ioan.* 2. vocatus eſt autem & Ieſus & diſcipuli eius ad nuptias. Hic eſt cathalogus inuitatorum. Sed numquid & Mater IESV ibi. Ego ex multis exiſtimo fuiſſe ibidem Amicitiæ non inuitationis argumento. Quid verò ita? Vidiſti aliquando inuitandos ad nuptias in tabula notari & conſcribi? Conſilium ineunt vtrinq; parentes, quos inuitatos velint, tandem viritim & nominatim deſcripti legunt hoc ferè modò: primo loco inuitandus eſt VC Petrus, deinde Paulus, tertiò Ioannes & ſic de cæteris. Vxorum verò illorum, filiorum & filiarum nulla prorſus fit mentio, cùm tamen & vxores & liberi ſoleant adeſſe nuptijs. Hoc eſt quod loquimur, quaſi nullus adeſſet, vbi ſolæ fœminæ, & deſunt Viri. Hinc deduces qualis ordo in ſacra communione, in Proceſſione, in Veſperis, in ſupplicatione publica, dum ſolæ mulieres præſentes.

Mulieres ordinariè non numerantur.

Aduertite mirandum aliquid. Inuitauit aliquis Viros duodecim ad ſolenne conuiuium, ſed cum vxoribus ſuis, imò cum liberis. Horâ Cænæ, veniunt omnium duodecim Vxores, adſunt & liberi numeroſè. Architriclinus, ſalutis ex more omnibus, Sponſum adit, queritur nullum fore nuptiale conuiuium, niſi denuò mittantur, qui dicant, parata eſſe omnia vt Viri illi veniant ad nuptias. O quoties ſoli pueri, puellæ, mulieres & plebs implent ſcamna, ſacros cancellos circumſtant, Sanctiſſimum accipiunt, Viris interim abſentibus! Et tamen quaſi nemo eſſet, dum abſunt! Dives ille qui fecit Cænam magnam & vocauit multos *Luc.* 14. audiens nolle inuitatos

M 2 venire

venire & excusare sese, curat mistim Domum suam impleri discumbentium. quæritur, num illic fœminarum aut paruulorum fuerit nullus ? non numerantur. fortè adfuerunt, quid ergò de sola Virorum absentia queritur Homo dicens · Amen dico vobis, quia nemo Virorum illorum, qui vocati sunt gustabit cœnam meam ? quasi nemo esset, dum absunt. Moyses, Patriarchæ Ioseph funus & exequias describens, quibus Parentauit optimo Patri Iacob ait : Ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis, cunctiq; majores natu terræ Ægypti ; domus Ioseph cum fratribus suis, absque paruulis & mulieribus. Cur fœminas non vocat ? viri comitantur quibus absentibus nemo comitatur. nemo reputatur. Catalogum Militiæ Duces conscribere vti solent, ita fœminas, calones, lixas numerare fœdum existimant. quia enim Virorum est præliari, soli scribuntur. Deniqúe obseruatio est Magistratûs vt maritatæ nunquam in rebus communitatis sed Viri earum citari debeant. Idem applica in rebus salutis vbi primas velut capita teneant viri oportet. Discubuerunt ergo viri.

Gen. 50.

DOMINICA.
PASSIONIS.

Vt videret diem meum. *Ioan.* 8.

ISàác Christi typum fuisse vnanimi consensu dicitur à S. Patribus, cuius dum vices subit Aries hærens cornibus inter vepres, etiam mortem eius, mortem autem Crucis designat. Ita D. Augustinus contra Faustum: quis alius Aries immolandus in vepre cornibus adhærebat, nisi, qui Crucis patibulo, pro nobis offerendus, affigebatur ? Hunc diem, in spiritu, sub vmbra mysterij, Patriarcha Sanctus vidit. Igitur dies, Christi est dies Passionis ac mortis. sed cur ita videbimus. Ad maiorem Dei Gloriam.

S. August contra Faustum.

Plerumqué homines diem desponsationis & Nuptiarum diem vocare suum consueuerunt, qui cum Amicorum carissimis læti epulantur, omnis generis honestâ fruuntur voluptate, optatas actu celebrant nuptias, conuiuio quà festo & jucundo tam æquà familiari. Quid nisi diem desponsationis & Nuptiarum celebrat in Crucem suffixus Saluator, eam quam dilexit Sponsam vulnerum & sanguinis abluens fontibus, vt sit illi sine macula & ruga ? illic certè & nos in sanguine suo genuit. Dicebat Sponsa *Cant.* 2. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos, stàt vtique ô bona Sponsa Rex in throno crucis, volebam dicere, in thalamo nuptiali, vulneribus saucius in carne, & prospicit per cancellos siue vt alij legunt per retia. vt sibi desponset peccatrices Animas de quibus *Psal.* 140. dicitur, cadent in retinaculo eius peccatores, IESV crucifixores, vt reuertantur percutientes pectora sua *Luc.* 23. Nec mirare omnia contraria Sponsi cœlestis & cæterorum in die desponsationis argumenta ; nuditas enim Agni paludata Amoris est indumento, fugitiui Discipuli, non eum relinquunt solùm dicente Patre æterno, *Luc.* 15. Fili tu semper mecum es, fel, acetum & myrrhatum vinum dulce reddit Animarum salus, quia Deliciæ suæ sunt esse cum filijs hominum *Prou.* 9. Quid ? Egredimini etiamnum filiæ Ierusalem deuotæ, Regem vestrum videre in diademate spinis horrido, sed pridem exoptato, dum cruentatur, pungitur. cruci affigitur cum Petro Cellensi loquar, impinguatur, moritur, & Amori Sponsæ dulciter immoritur.

Dies Pass. Christi Nuptiæ.

Cant. 2

Psal. 140.

Luc. 23.

Luc. 15.

Alterum quod Christi diem arguere potest vocandam Passionem & mortem illius est, quia dicere solemus diem nostrum quo ad Honorem aliquem prouehimur. hodie magnificatus est, hæc dies illius est, vulgi sunt voces de Honoratis & recens

nouis affectis titulis. Idem de Christo iudica. De torrente in via bibit Passionis *Psal.* 109. propterea exaltauit caput. Die Passionis magnificatus est, honoratus est, habuit enim S. Cypriano teste *lib.* 2. *Epist.* 15. in capite galeam, non de auro sed de spinis. habuit loricam non de ære sed carnem immaculatam, habuit in manibus non lanceam vel gladium, sed magnos clauos, manibus affixos, in pedibus, quasi calcearia, clauos infixos. Pro equo verò habuit ipsam Crucem. Electus in Regem Israël Saul in Galgala, lætatus est ibi & cuncti viri nimis inquit, sacer textus 1. *Reg.* 11.

Dies Passionis Christi dies Honoris.

Dum esset Rex noster Christus in accubitu Crucis numquid lætatus est nimis? imò & Pater æternus, vt lætitiæ suæ proderet indicia, idem cælo ex alto, quod in monte Thabor, intonat *Matt.* 17. Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacuit, ipsum audite. sed quid illud audire jubemur? pater in manus tuas commendo Spiritum meum, iam me totus non capit Orbis hoc die meo, quo dedisti mihi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine meo omne flectatur genu, cœlestium, terrestrium & inferorum.

Phil. 2. c.

Insuper diem mortis communiter vocamus diem extremum & proprium morientis, vnde etiam obire diem, id est mori; vulgatâ acceptatione dicimus. Ergo exultans Abraham, credendus diem mortis Christi, præuidisse. esto enim cæli facies a Solis defectu, Lunæ tenebris, mœsta fuerit, tremuerit ruptis terra saxis, Sol tamen Iustitiæ, qui nescit occasum, in sua diuinitate luxit. Exultat conscius mysterijs Patriarcha, quia enim mortem nostram moriendo destructuram præuidit, in morientis victoria, totis animi exundabat tripudijs! diffluebat gaudijs! At at Auditor diem Christi quâ nos in libertatem asseruit videmus, sed quæ vtilitas in sanguine eius aut morte si in corruptionem descenderimus? agamus proinde carissimi diem Saluatoris eâ percurramus memoriâ, vt dies nostra extrema, etiamnum lætitiæ huius efficiatur particeps, quam Dominus

Ps. l. 29

nus noster, Filijs Abrahæ, in luce sancta, copiosissimè repromisit. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Vt videret diem meum. *Ioan.* 8.

Simonis à Cassia hodie occurrit animo sententia Auditores. Distenditur in Cruce corpore IESVS, magis in animo ad homines Charitate distentus, vt etiam sui crucifixores non excluderentur ab huiusce charitatis effectu & affectu. Etiam gaudia quandoque lacrymas exprimunt. Exultat Abraham & gaudendo videt Christi optatissimam mortem, flere te volo Auditor, sed præ gaudio, quia pro te passus est vt saluareris, Aries in vepre, Christus in Cruce! Hæc dies quam redire facit Dominus, vt exultemus, & fleamus in ea. Ad Maiorem DEI Gloriam.

Vt videret diem meum. *Ioan.* 8.

Ad prædam Fili mi ascendisti, dixerat Iacob benedicens Iudæ Ioannem *Gen.* 49. Franciscus Labata. Ad prædam ergo ascendit Christus in Crucem qui tanto beneficio, tanto amore deprædatus est corda nostra. Ioannem de Aluerno refert Bernardinus de Busto toties vbertim lacrymatum fuisse, quoties Domini nostri passi imaginem conspiceret. Hodie ipsa Passionis Dominicæ vocata Dies quâ velatam Ecclesia Christi passi proponit imaginem, magnam nobis ingerit memoriâ repetendæ eius passionis occasionem deuotionemque. vt verò moueat, accinit meditantibus.

Ioannes de Aluerno visâ imagine Crucifixi flet Ser. 1. de cōpass. B. V. M.

Vexilla Regis prodeunt
Fulget Crucis mysterium,
Quo carne, carnis conditor
Suspensus est patibulo!

Hymnus Eccles.

S. Franciscus Seraphicus ex dolore compassionis Christi lacrymans visum amittit. Huc oportunus etiam veniet Iacoponus de Tuderto nobis Magister, qui lectioni Dominicæ Passionis præsens, adeò grauiter singultire solitus erat, vt fuerit necesse, elatum de templo cellæ eius inferre, vt tantisper lacrymis

Iacoponus de Tuderto ad lectionem Passionis Christi flens.

crymis temperans, ad se rediret. Exultemus animis & lacrymemur Christi tanto redempti Amoris incremento, vt pateretur volens pro nobis! Inuitat enim verò nos iterùm Sponsi velatus personâ Christus hodie illud *Canticorum 4.* ingeminans: veni de Libano Sponsa Anima veni. vox turturis audita est, flores apparuerunt in terra nostra. Quin imus? vox turturis Matris nostræ Ecclesiæ intra IESV crucifixi amplexûs gementis, en sunt,

O Crux aue spes vnica,
Hoc Passionis tempore.

Christus passus est Granadillus. An fortè flores circumspicis vt videre detur tam exoptatos? flores interra carnis Saluatoris, sunt vulnera, tibi ex charitate, vt læteris in eis, ô rèè Homo, velut in Ciuitatibus refugij, aperta. Ora sunt amantissimi nostri Sponsi quibus vocat, flores, quibus alliciat vagam in vanitatum foro Animam. Et Granadillus, ille frutex Indicus, Passionis IESV expressiuus, imò ipse, te vocat Christus, in hoc floris miraculo, cui quidam. dum illum exprimit, hanc elegantem epigraphen, IESV socius olim, adscripsit:

Pectora quem florem mortalia ferre recusant,
Hunc tellus gremio protulit ipsa suo.

Aspice folia, funium instar habent, truncus eius, Columnam, cui IESVS alligatus est, figurat, flores æmulantur spinas & clauos, vertex coronam de spinis, IESVM quondam pungentem, enunciat. Non vincamur à flore, Sponsi huius Amici, exultemus pro redemptione, fleamus po tormenris. Æliani est de Ægeo Atheniensium Rege, quòd, cùm aplustria pulla Nauium, quibus reducem expectabat vnigenitum, conspexisset, in mare sese præceps dederit. Redit dies hodiernus cum Passionis Dominicæ memoria, redeunt vexilla Regis purpurata sanguine, Narcissus noster Christus non è fabuloso puleo, sed è Crucis CHRISTVS Narcissus. paribulo se nobis pulcherrimum, quia charitate nimiâ quâ dilexit nos conspicuum præsentat, nec alio voto vt reor, quàm

vt illius

vt illius dulcissimo capti Amore, torrenti Passionis eius, de quo in via, nos quærendo, bibit largiter, immergamur! Hæc dies quam fecit Dominus *Psal.* 117. dicente Rege Dauid exultemus & fleamus in ea, læti pro redemptione, flendo grati pro tormentis. Demus eam Christo, non mundo, non carni, nec vanitatibus, Christo passo, consputo, flagellato, illuso, crucifixo. Tuus est dies *Psalm:* 73. habe IESV. Ps: 117.

DOMINICA.
PALMARVM.

Adduxerunt Asinam *Matt.* 21.

IN curribus & Equis alij, alij Ceruis & Leonibus, aut Elephantis, Capitolium, Arcem Victoriarum & Victoribus destinatam gloriæ sedem, ingredi, triumphatores soliti apud Romanos. Rex verò noster hodie, Rex tuus ô filia Sion Anima deuota, non in fortitudine equi voluntatem habens *Psal.* 146. nec in tibijs viri sibi complacens, venit mansuetus super Asinam, elegit quæ stulta sunt mundi vt confundat sapientes, infirma, vt confundat fortia, ignobilia, vt non glorietur omnis caro in conspectu Domini I. *Cor.* 1. 1. Cor. 1. Procul hinc currûs procul este jugales, Asinâ venit Saluator. Cur ita? dicam in præsenti sermone; interim supplicemus.

Adduxerunt Asinam *Matt.* 21.

Præterquàm quod damnare pompam sæculi triumpho suo voluerit Christus, animal elegit simplex & despectum, sed etiam oneribus ferendis natum. Hinc filios suos benedicens Iacob dicebat ad Isachar *Gen.* 49. Isachar Asinus fortis, asinum

N vocabat

vocabat quem ſciebat oneris patientem, nec vilem accepit à Patre titulum, vt in eo ſimplicitas luſtorum faceret initium. Deridetur Iuſti ſimplicitas inquit, *S. Greg. libt 10, Moral. cap. 27, in cap. 12: Iob.* Sed quid eam ſequatur ſcimus, ſimplicibus Sapientia Dei reuelatur & paruulis, ab eo, qui ſuperbis reſiſtit, vt ait frater Domini humilibus autem dat gratiam. Hinc Apoſtoli gloriatio eſt, Nos ſtulti propter Chriſtum 1. *Cor.* 4. Dicat ſanè Abbas Pitirum ad Salc. ita vocata eſt, ob ſimplicitatem ſanctam; Virgo humillima, remiſſus, vt diſceret, ſimiles Chriſto eſſe in amoribus. cumq; comperiſſet, vt erat ipſa veritas, didicit fieri poſt humilior. Rideant noſtri æui ſcioli ſuum decantantes verſiculum: Beati ſimplices quoniam Aſini Dei vocabuntur. S. Bernardus certè ait: Iumentum cui inſidet Chriſtus nonne vos eſtis juxta præceptum Apoſtoli glorificantes & portantes Deum, in corporibus veſtris *Serm. 1. in Pſal.* voluit Sanctus Doctor intelligere fortes in tribulatione quibus illud Iacobinum congruat Iſachar Aſinus fortis, vidit requiem & nonne Iob, Tobias & cæteri ſancti Deum glorificabant in patientia cui ſupponebant humeros? Noli erubeſcere inquit S. Auguſt. *Serm.* 24. de Natiuit: Dic eſſe jumentum. Chriſtum portabis, non errabis. & ibidem, iumentum ipſius

Aug. Ser. 24. de Natiuit. ſimus, ad Ierufalem eamus.

Aſinabus præ animalibus cœteris longiuſculas natura finxit aures. ſimus iumentum Chriſti, verbum eius iubentes hauriamus auribus. nam beati qui audiunt & cuſtodiunt illud *Luc.* 11. Cùm enim, inquit, Auguſt. tractio in Ioannem, Dominus in turba admirabilis videretur, faciens ſigna & prodigia, & oſtendens quid lateret in carne, admiratæ quædam animæ dixerunt? fœlix venter qui te portauit. Et ille: imò fælices qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud; hoc eſt dicere: & Mater mea, quam appellatis fœlicem, inde fœlix, non quia in ea

Idē tract. 10. in Ioā. Verbum caro Factum eſt, ſed quia cuſtodit Verbum Dei, per quod facta eſt, & quod in illa caro factum eſt. Non erubeſcamus

ſcamus porrò Dei eſſe iumentum, ducente nos verbo, quod audimus, non errabimus à Ieruſalem, & æterna pacis viſione. *Exodi cap.* 7. præcepit Iſraëlitis Deus: primogenitum Aſini mutabis oue, alibi memini loci huius, in præſentiarum verò quærendum eſt, cur hodie ſuper Aſinam & pullum Aſinæ ſedit? *S. Ambr. libro 9. in Luc.* aſinam & pullum legimus, vt quia in duobus hominibus vterque fuerat ſexus expulſus, in duobus animalibus ſexus vterque reuocetur, quaſi diceret ipſe adeò Chriſtus, veni quærere & ſaluum facere quod perierat, ideò ſedem in eis figo, me ducente, non errabunt. Auditor ſedeat ſuper nos Dominus & quo vult nos dirigat, ſit Rex noſter, ipſe regat actus, & ſenſus noſtros, portemus eum cum Apoſtolo in corporibus cordibuſque & animabus noſtris, faciat ſibi ferculum de nobis & ſedem æterna ſapientia vt cum eo ad Ieruſalem cœleſtem perueniamus. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Clamabant dicentes Oſanna. *Matt.* 21.

Triumphalis in Ieruſalem Chriſti Domini ingreſsûs acclamatores primi, teſte Euangeliſtâ pueri erant Hebræorum Auditor deuote. Videntes autem inquit, Principes Sacerdotum & ſcribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo: Oſanna filio Dauid: indignati ſunt, & dixerunt ei: audis quid iſti dicunt? IESVS autem dixit eis: vtique nunquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem? O inſenſati parentes indignantur ei, quem filij eorum proclamant Saluatorem! quàm ſanctè faceretis, ſi & vos ei diceretis ex animo, Oſanna, ſalua nos Saluator ſed plerumque ita fit, vt à pueris & filijs diſcere poſſint parentes ea, quæ filios docere, parentum omninò erat. Quod Ad Maiorem DEI Gloriam. Matt. 21.

Clamabant dicentes Oſanna *Matt.* 21.

Vix natus Saluator in Bethleem Iudæ, ecce ab oriente Magi venerunt Ieroſolymam dicentes: vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæo- Matt. 2.

Iudæorum ? *Matt. 2.* Hoc nuncio territus Herodes, timens regno suo, à bimatu & infra occidit omnes pueros qui erant in Bethlêem & in finibus eius. Moriuntur Paruuli, Christum, quem Parentes eorum negauerunt, confitentur, ita enim orat Sancta Mater Ecclesia : Deus cuius hodierna die præconium, Innocentes Martyres, non loquendo sed moriendo confessi sunt ; ecce à pueris possunt Parentes, confiteri Christum, discere, quod eos facere conuenerat & docere. Confitentur elingues, quem negant linguosi eorum Maiores. Biberat olim Nôe vinum & inebrietus nudatusque est in tabernaculo. *Gen. 9.* vidit hoc filius eius Cham & risit Patrem, maledictus puer ; tandem significans idem fratribus suis, qui imponentes pallium humeris suis & incedentes retorsum operuerunt eum, reportauit à patre maledictionem. Auditor sæpius fit, vt Parentum ignominiam boni filij obnubant, quod magis proprium est Maiorum vt liberorum honori consulere debeant.

Offensus aliquando Saul festiuâ illâ filiarum Sion acclamatione, quam liberalissimè effuderant in Dauid canentes in choris : percussit Saul mille & Dauid decem millia *1. Reg. 18. cap.* cogitabat occidere Dauid. Filius Saul Ionathas, videns completam malitiam furentis Patris, multis apud eum egit pro Dauid, ne occideretur, suadens mellitè Patri, ne peccaret in sanguine Dauid. Auditor ! iterum filius Patrem auocat à peccato, à quo, si ita res ferret, esset filius, iure potiori, auocandus à patre. Quinquennis erat puer Achas nomine, sed puer admirabilis Ordinis Minorum vestitu insignis, at innocentiâ & vitâ mirabili insignior, nam siquando patrem suum Ebrium conspexit, vultu tristi eum alloquens dicebat : non ne audisti pro concione quia ebriosi regnum D EI non possidebunt. *1. Cor. 6.* Si matrem ornatam liberiùs : in Crucifixum intendens aiebat : vides vt pro te manat sanguinem vulneratus Saluator ? & tu, vanitates amabis ? magis hæc dissuadere decet Matres filiabus suis ne vanè incedant ; & parentes filijs ebriosis ne regnum

Filij docet suos Parentes.

In pijs Hilarib.

gnum Dei amittant, sed docent pueri doctrinam majorum. Degener ille Salamonis Filius Roboam Rex *3. Reg. 12. cap.* interpellantibus subditis, vt sibi alleuiaret onera, respondit Pater meus flagellauit vos, & cecidit flagellis, & ego cædam vos scorpionibus. Auditor quanti æuo nostro similes Roboâmò ? corrigunt Parentes in quibus doceri aut corrigi à parentibus debebant. Quid ? pater dominatus est sat seuerè, succedit filius, sed Dominatur seueriùs : pater violenter accipiebat subditorum vitulos, nepos accipit vaccas : & quod parentis erat legare testamento pro conseruatione filij, hoc improbat, & corrigit succedens in bona filius, docens patrem.

Sexcenta similia facilè conquires vbi à pueris & liberis discere possunt Maiores, quod eos docere suum erat officium : maximè verò habebant hodie Hebræi, ex quorum infantium ore Christi profecta laus & inuocatione dicentium Osanna, quod nos paribus cum eis illi mentibus occinamus.

DOMINICA.
RESVRRECTIONIS.

LÆtissima Christi Anastasis & reportata ab inferis Victoria non habet cui conferatur, compareturque Aud. Si enim illum composuero Samsoni, qui obuium sibi quondam Leonem, dilacerauit quasi hædum *Iudic. 13.* longè fortiorem, quia rugientem, & quærentem quem deuoraret *1. Petr. 5.* Christus euicit, auferens spolia fortis Armati, & sedentes in tenebris & vmbra mortis *Luc. 2.* educens gloriosè. Vicerit etiam Samson de nocte surgens mediâ, ambasque Gazæ portas humero sustulerit *Iud. 16* hodie

hodie Christus portas mortis æreas confregit rediuiuus. Non
Figuræ Resurrectionis Christi. est cui componatur! vmbra fuit sola victor Goliæ interfector
Dauid 1. *Reg. 17. cap.* præualens in funda & lapide, passi in carne Dei Filij, numerus vulnerum figurabatur in eis. Aduertite, pendet etiamnum hodie suspensus in patibulo Aman cum chirographo, quod erat contrarium nobis!

Vnum denique vnicè restat, vt Christi Resurrectione acclamemus solenniter cantante, ei, quoniam gloriosè magnificatus est. Alterum vt de sepulchro surgentes peccatorum non linguâ sed opere thema hodiernum promulgemus dicentes: Surrexit. Ad Maiorem Dei Gloriam.

HOdie dilectissimi verus ille Ionas, & columba pulcherrima Christus, terris pacem, mortis & inferni victor retulit; cantemus ei, gloriosè enim magnificatus est. Hodie piscis
Ionæ 2. Ionam euomuit in aridam, quando infernus cognoscens Dominum, hos quos tenebat mortuos reddidit vt inquit *S. Greg. hom. 10.* vt captiuam victor duceret captiuitatem; cantemus ei, gloriosè enim magnificatus est. Hodie verus Dauid percussit decem millia *1. Reg. 11.* & redux à cæde ad vitam di-
1. Reg. 30 uidit prædam in Siceleg senioribus Juda dicens: accipite benedictionem de præda hostium; Hæc est præda Dauid vitæ, immortalis gloria, cantemus ei, magnificè enim glorificatus est. Hodie ad prædam ascendens Dei filius & acquiescens accubuit vt Leo, siue cum Eucherio, vt catulus Leonis, quis suscitabit eum? *Gen. 49.* excitarunt eum gemitus Leænæ Matris: cantemus ei vnà cum Matre, vt gaudeat & lætetur, gloriosè enim Magnificatus est. Hodie etiam terra nostra tantis illustrata fulgotibus, illud eductorum è carcere concinit: aduenisti desiderabilis quem expectabamus in tenebris; cantemus igitur vnanimes ei, quoniam gloriosè magnificatus est, vt propriâ factus rediuiuus, surrexit. Jam verò à Festo Carmine gloriosè magnificatum imitemur & de sepulchro surgamus peccatorum. Doctor gentium Colossenses ad cogno-
scendum

scendum vtrùm verè cum Christo surrexerint quasi manu ducens, hoc eis medium *cap. 3.* assignat. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite vbi Christus est in dextera Dei sedens, quæ sursum sunt sapite non quæ super terram. voluit dicere Apostolus Christi, signum quòd aliquis surrexerit cum Christo, est terrenis præ ferre cælestia, sursum agi spiritu, conuersationem habere in cœlo, si quis enim adhuc terrenis delectatur, ambit ea quæ mundi sunt, captiuus est sepulchri, adhuc alligatus est, gratis euolare sursum nititur, quia compede arctatur eius, cuius desiderium in terrenis sentit. Coarctor è duobus desiderium habens dicebat ad *Philip. 6. cap.* Apostolus; quod exprimens JESV socius animam versus cælum euolare nitentem, sed catenâ ad Sphæram mundi pede alligatam epinxit. Interim querula ait:

Nimpè ita dat pueris captus ludibria passer Hermann.
Dum fugit, & reuocant fila reducta fugam. Hugo I. 5. Suspir. 9.

Nimirùm in sepulchro sumus, quàm diu terrenorum vel vni hæremus, in similitudinem passeris filo alligati, quem euolare laborantem, filum retrahit. Auditor non surrexit, quem caduca oblectant, & præterita peccata retardant. Hinc *S. Chrysostomus hom. 55.* ad popul. Antioch. Quousquè hîc erimus affixi, ad hæresimus terræ, tanquam vixerimus, in cæno volutamur; corpus de terra nobis DEVS contulit, vt ipsum in cælum reuehamus, non vt animam per ipsum ad terram detrahamus. Signum ergo est, nos cum Christo surrexisse; si renunciemus omnibus quæ terram sapiunt, carnem olent, suadent mortem illam, de qua Propheta ait, anima quæ peccauerit ipsa morietur *Ezech. 18.*

Mirum aliquid iubet Saluator fieri dum Lazarum è tumulo Ioan. 11.
euocat *Ioann. 11.* dicens: soluite eum & finite abire. Nicolaus Lyranus hoc loco ait, ideò vt ostendatur verè suscitatus per opera vitæ. Ergo signum quod surrexerimus sunt opera vitæ, opera virtutum, ad quæ abimus soluti vinculis peccato-
rum,

rum, qui verò nil operatur noui, & diuersi ab eis, quæ olim faciebat, mortuus in Anima, non surrexit sicut Christus, de quo Angelus, non est hîc inquit, nimirùm: illic hærere vbi cecideramus, in sepulchro manere est; ad ea redire quæ planximus, caninum ad vomitum redire, porcinum est ad volutabrum, post dilutionem, reuerti, abire autem est à vitio ad virtutem, à concupiscentia ad animi compositionem, à sensualitate ad
Apoc. 3. veram conuerti perfectionem, imò qui aliter abire, solutus mortis vinculo vult, nomen habet quod viuat, & quod surrexit, reuerà, autem mortuus est, & dormit.

Cant. 3. Pulchrè sponsa *Cant: 3.* dicit: surgam & Circuibo Ciuitatem, quæram quem diligit Anima mea. Si surrexisti circumi cum Sponsa illam, quæ sursum est Ciuitatem, neque enim alibi inuenire potes dilectum, nisi in domo eius, nisi in dextris Dei; surrexit enim, non est hic vbi posueras eum, & amisetas peccando, alia via tibi sursum eligenda est, vt inuenias. Eductum aliquando Loth de Sodomis Dominus monuit *Gen. 19.*
Gen. 3 noli respicere post tergum. D. Ambrosius: Retrò Sodoma est, plena flagitij, retrò Gomorrha vitijs scatens, criminum Re-
Vxor Loth gio, fuge ergo, Sodomam, relinque ocyùs ne te imminen-
respicit tia obruant pericula. qui non respexit, euasit, qui respexit,
retrò. euadere non potuit. Idem time Animæ tuæ Auditor! si consurrexisti cum Christo, sursum propera, quæ illuc sunt quære, noli sepulchrum patens respicere, ne te resorbeat, & mortuis, quos fugisti, rursùm associet. Nemo mittens manum ad ara-
Luc. 9. trum & respiciens retro aptus est regno Dei, Christi sententia est, sed nec vitæ immortali aptus est, & cum IESV ducendæ, qui liber a peccatis, per absolutionem & pœnitentiam, inclamantes eorum audit concupiscentias, aut respicit pallium succutientes & dicentes, deseris nos? talis enim vetera amat, deplorata redamaturit, dolet deserta. Igitur Carissimi cum Nanzianzeno loquor, simus sicut Christus, qui, resurgens ex mor-
Rom. 6. tuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur *Rom. 6.*

agamus, ipso propitiante, vt non dominetur nostri omnis in- Psal. 118.
iustitia. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Veniunt ad monumentum orto iam sole.

Non miremur venisse ad monumentum eas quæ dilexerant in vita Christum Iustitiæ solem, namque ortus est Sol & congregati sunt dicebat *Psal. 103.* Rex Dauid. Solis Filiæ sunt, norunt sua sidera Solem, & quia viderant illic occidentem, expectabant oriturum dicente *Ecclesiastæ cap. 1.* Oritur Sol & occidit & in locum suum reuertitur. Eliotropia solis sequaciæ mulieres mihi hodiernæ videntur doctæ illum sequi in vita, in morte, à resurrectione. Vtinam simus earum similes ò sidera! vtinam solsequia omnes! & Christum sequamur, nobis solem ortum, quod. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Surrexisse Christum non solus Angelus, non mulieres, non Discipuli fatentur sed ferè omnis creatura loquitur hominum, quo orto Endymionas miror peccatores altum dormire somnum, nam ita nonnemo eorum exposuerat in tabella imaginem, quando super cespite solo cælum versus resupinum finxit hominem, ad calentissimi solis radios, dormientem. Eheu non solsequia sed anti-Eltropia sunt, qui Apostolicum illud non audiunt *Rom. 13. cap.* Nox præcessit dies autem appropinquauit, abijciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis, sicut, indie, honestè ambulemus.

Ortus est sol igitur est dies, Eliotropium caput leua, lucem illuminantem omnia respice, sordes amatas desere. Sol enim iste cordis penetrat cubile, lustrat omnia, videt abscondita, lucet in tenebris. Vide Rosam vide flores alios pœnè omnes, de nocte calyce inuolutos suo, manè ad illustre solis lumen purpuram suam explicat & nitescit! lapsi erant quos vides flosculi, emarcuerant singuli, at venit manè Sol, reuiuiscunt. Quin eos & tu æmularis? nescis te flori similem apud Iobum conteri facilè nisi, quod suadeo, flori isti campestri socieris? non marcescit.

1. *Reg:* 16. legimus cum Dauid castra Israël Saule spoliato hastâ, inclamaret ipsumque adeò militiæ eius Ducem ex nomine prouocaret, Abnerum, ita eidem respondisse : quis es tu qui clamas & inquietas Regem ? Idem profectò mihi hodie multos respondere imaginor peccatores, cur nos inclamas & inquietare nondesinis ? apage clamores istos importunos nobis & tempori, nunc lætandum potiùs quàm à peccatis surgendum; aut quod vociferaris delicijs amaris, quas longa durauit consuetudo, dicendum vale. At miser homo, en ortus est sol, & congregati sunt fugitiui, reuersi ad cor peccatores, vt in gratiæ subilibus collocati, etiam gloriæ sociarentur ! solus tu desideraris !

Nollem hîc præterire Heliotropij ipsius apud Bidermanum Societatis Iesu suauissimum Pöëtam de se loquentis Encomium;

Solsequij natura mira.

His nisi terra pedes pedicis, includeret, olim
Stellatos sequerer totus ad vsq; choros
Sublimi cursum quid solis ab æthere quærunt
Astrologi ; Hic humili in flore videre queunt !

Duo sunt de quibus se commendat solaris flos & magni illius planetæ pedis equus. Primum est quòd tam ardenter solem amet, vt nisi in terra radicem ageret, innatâ in solem propensione, sursum illius radijs eueheretur. Alterum verò, quia in eius motu, quem solari cursu velut directore variat, ipse cursus solis cognosci possit. Aptissima nobis Auditores doctrina, si enim Christum, Iustitiæ solem, & lumen Animarum nostrarum, seriò amaremus, nullatenus non sequeremur eum, quocunque se verterit, volo dicere : ad regulam vitæ ipsius sanctissimæ, nostram etiam vitam & voluntati eius nostram conformare desideraremus, atque ita etiam, vel vt in flore isto, sol, in nobis, agnosceretur Christus. Simile aliquid olim dixit S. Chrysostomus, si talis vita nostra esset, qualem scripturæ instituunt, magis de nobis, quàm de signa facientibus Gentiles admirarentur. LXX. Interpretes loco verborum in vulgata nostra,

stra. *Cant.* I. nolite me considerare quod fuscasim quia decolorauit me sol ; posuerunt ista : nolite aspicere me quoniam obfuscata sum, quia non est me intuitus sol, *S. Ambrosius in Psal.* 118. Octornar. 2. vj. exponit : non est intuitus me sol, dissimulauit à me, quia non seruaui mandata eius, non vidit me sol, quia non recepi aduenientem, non aperui fenestras, vt lumen vitæ intraret, cùm aperuero, illuminabit oculos meos. Optimè ad rem meam S. Doctor ! ita vtique potest hodie dicere Endymion, qui Eliotropium esse, solem ortum & à mortuis resurgentem sequi neglexit ; non surrexi à mortuis, dormiui, vt habet Apostolus *Eph.* 5. *cap.* ideò nec me illuminauit Christus, ad lumen eius illustre non explicui cum Rosa purpuram Animæ meæ, cum Heliotropio non cucurri post eum, ideò tanquam flos agri efflorui, si verò surrexero à mortuis operibus meis illuminabit me, alligabit contritionem meam & numerabit multitudinem Stellarum *Psal.* 146. id est D. Hieronymo interprete, hoc loco, si egero pœnitentiam vertet me in stellam, qui numerat multitudinem stellarum, non numerat vulneratos sed eos numerat, qui iam in stellas conuersi sunt, atq; ita fiet vt verificetur in me norunt sua sidera Solem, Heliotropium ero, sequar Christum. Agite proinde amabo vos ô Heliotropici Animæ bonæ, flosculi, agite ! ortum solem sequimini, accedite ad eum & illuminamini & facies vestræ teste *Psal.* 33. non confundentur, ortus est vobis Sol Iustitiæ & sanitas in pennis eius.

Eph. 5.
Ps. 146.
Mal. c. 4.

FERIA II. PASCHÆ.

O 2 Euanuit

Euanuit ex oculis eorum !

QVi margaritum eiuſmodi haberet quod occultâ naturæ vi oculos eius ludere, elabi ex manibus, fugere de Arca poſſet, quantâ exiſtimas cuſtodiâ illud obſeruaret poſſeſſor ? omnimodâ profectò. Pretioſiſſimum & huic non abſimile margaritum Chriſti gratiam eſſe credetem eiuſq; dulciſſimam præſentiam, quæ mille varijs, euaneſcere ex oculis Animæ dilectæ, modis, aſſolet, etiam tum, dum ſui inardeſcit Amore ; quod in Diſcipulis hodie eius patuit luculenter, dicentibus inuicem, nonne cor noſtrum ardens erat in nobis cùm loqueretur in via ? at, etiam ex amantium oculis tum fugit, dum agnitus fuit ! An id noſtro bono ? diſpicidmus. Ad Maiorem Dei Gloriam.

NOn auſim hodie arguere Sponſam *Cant.* 8. fugere jubentem, à ſe dilectum his verbis : Fuge dilecte mi & aſſimilare capre hinnuloq; ceruorum, occurrit hic animo Patriarchæ Iacob benedicentis Nephtali commendatio *Gen.* 49. ceruus emiſſus dans eloquia pulchritudinis, ita vocat Filium, & Sponſa hinnulo Ceruorum aſſimilari vult dilectum, cuius eloquia ſecum præſentis experta, fugere jubet, vt experiatur, quid doloris, eo fugiente, operaturus ſit in corde Amor, qui præſente, tantus erat, vt non eſſet ferendo. Nimirum rei æſtimatio, amiſſione perpendi optimè ſolet.

Bier. Rō. S. Alexij factū mirabile.

D. Alexium in domo paterna annos ſedecim veſtis mendicabuli, ita contexir, vt omnes ille noſceret, ſed à nemine agnoſceretur. Tandem reliquo ſui nominis & vitæ ſcripto in cælos abijt, & tum à ſuis primùm cognitus eſt, fuiſſe, qui eſſe non putabatur. Quæramus ! quid intendere potuerit Diuina prouidentia in iſto facto, & cur non niſi abiens & quaſi amiſſus agnoſci permiſſus ſit ? voluit reor Deus habere eos teſtes votorum, quæ ſcilicet exhibituri fuiſſent viuo Alexio, ſi, cum viuentem,

viuentem, nouiſſent. Auditor ! dum viuit apud te, dum tecum eſt Dominus & eius gratia, illum æſtima, ne fortè pòſt facere velis pro eo, vbi fugerit. Hinc D. Ambroſius in *Pſal.* 118. ait Eius eſt cuſtodire qui timet ; qui ergo timet, cuſtodit.

4. *Reg.* 13. ad moribundum Propheram Elizeum Rex Ioàs venit, ſed benedictionis loco, Arcum adferre & pharetræ filias jubetur, ac per feneſtræ apertum, ſagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contra Syriam ; deinde, iteratò iubetur ſumere jaculum, & terram fortiter percutere, quod cùm feciſſet, percutiendo tribus vicibus, iratus Propheta ait : ſi percuſſiſſes quinquies aut ſexies, percuſſiſſes Syriam vſque ad conſumationem, nunc autem tribus vicibus percuties eam. O quot ictûs infixiſſet terræ, quot iacula defixiſſet humi, ſi, quam ſerò cognouit, Rex prænouiſſet, conditionem !

Celebrem affingunt Apologum nonnulli ; Ruſtico vianti intra arenæ cumulum radians quoddam illuxiſſe margaritum, cuius claritare allectus, ſuſtulit gaudens, ſibiq; quod verè erat, magni ſortem theſauri promittens, Phrygionem adijt, mercedem, arbitrio eius, dignam ſibi, ab eo poſtulans ; dato non vt par erat pretio, diſceſſit. Interim redire emptor, & ſe rem pretioſiſſimam leuiſſimè comparâſſe gloriari. audijt miſer, & doluit tanti dediſſe, quanti voluit, cuius nobilitatem, niſi ſerò animaduertebat. Auditor idem exiſtima de gratiæ theſauro, quàm tum æſtimamus, dum perdidimus malè ! Ad viduæ ſubleuationem *4. Reg. 4.* vaſa vacua plurima mutuari jubet Propheta & de lecyto fluit implens vaſa oleum, fundit mater, miniſtrant vaſa filij, at vbi defecerunt vaſa, ſtetit oleum. Talis & gratia, infundi geſtit vſque dum capere poſſimus. At noſtro bono fit Auditor, quod ſubinde fugiat dilectus, vt nouerimus poſt, quid habuimus ante, quàm amiſiſſemus. Benè Sponſa apud Ieſu ſocium hortatur vt fugiat :

Ruſticus margaritæ repertor.

Cape fugam, veluti cuperes tamen ante videri
Vtq; breui redeas non tibi dico vale.

FERIA III. PASCHÆ.

Ego ſum. videte manus meas. *Luc.* 24.

CEleberrima eſt illa Ieſephi coram fratribus ſuis in Ægypto manifeſtatio, cùm diceret eis cum fletu : Ego ſum Ioſeph. quos videns nimio timore perterritos, allocutus eſt clementer. accedite ad me, ego ſum Ioſeph frater veſter, quem vendidiſtis in Ægyptum, nolite pauere, neque vobis durum videatur quia vendidiſtis me in his terris, pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum. *Gen.* 45. An hodierna Chriſti abſimilis ? minimè. Pax vobis, inquit, dumq; turbantur, videte manus meas & pedes meos, quia ego ſum qui crucifixus eram, nec vos terreat fuga quam dediſtis, ita certè pro ſalute veſtra diſpoſuit ille, qui miſit me Pater, vt traderer in manus peccatorum & die tertiâ reſurgens vos lætificarem, quod impletum impræſentiarum videtis. At quid oſtenſarum manuum aut pedum cauſæ ? quid aperti lateris ? ne viſis puto vulneribus eius & ſacris cicatricibus peccemus vltrà. & in eorum protectione ſecuri ſine offenſione viuamus. Quod, Ad Maiorem Dei Gloriam.

Gen 45

QVòd Chriſtus vulneratas manus, pedeſque oſtendat, aut vt eorum aſpectu à peccatore vocemur, Iſaiâ teſte *49. cap.* Ecce in manibus meis deſcripſi te, muri tui coram oculis meis Quid muro cum vulneribus ? vult dicere : huc fuge à facie peccati, his te muris vallatum, non tanget tormentum malitiæ, non flectet tentatio ! Cum à Lenone velut rugiente aliquo Leone fugeret S. Martiana Virgo, nec fugæ vltrà eſſet, perſequente hoſte caſtitatis, locus repente, Deo ſic ordinante, mu-

rus

rus & duratus paries, inter fugitiuam & inſequentem, diuiſit. id quod venuſto expreſſum dedit verſiculo : Bidermanus Societat : Ieſu.

Incipit enato tellus increſcere vallo
Et paries fœtâ ſurregere grandis humo
Diſcluſitq; repentè duos : iamq; illa timere
Deſijt ; incępit Leno timere ſibi.

Murus miraculoſus.

Manus meæ tegent te *4. Eſder*, 2. Manus meæ in Cruce confixæ quaſi aliæ protegent te à morte æterna nimirum ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, proſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos vulnerum ſacratiſſimorū. Amabo ! quoties lenocinantē Carnē velut Lenonem, aut rugientē Petri leonem audis, in te, ecce in mani⁹ Ieſu muri tui ſemper, ora vt diuidant eius ſacra vulnera te, & peccati occaſionem ! In Ara Crucis nuper appenſus amantiſſimus Ieſus, iamque amaro paſſionis felle potus, patrem inclamans dicebat : Eloij lamazabathani ! at ò bone Ieſu ! verte folium & canta ! alij tam flebilem leſſum, non Pater æternus te non, ſed Homo peccans, reliquit. Animam peccatoris inclama, hominum filios incuſa & dic eis tuum Lamazabathani, obliti mei eſtis quos ego deſcripſi in vulneribus, legite non verba ſed vulnera, manus meæ in Cruce confixæ quaſi Alæ vos protegunt, legite ſcripturam hanc non litteris ſed plagis in corpore velut lapide deformatam inſpicite petram vnde exciſi eſtis, ad me confugite tentati, & nolite peccare ! Mandauerat olim Deus *Ezechieli 43. cap.* Fili hominis oſtende domui Iſràël templum vt confundantur ab iniquitatibus ſuis : Interlinearis vt viſo templo confundantur. S. Hieronymus multum prodeſt ei quiantè peccaverit, videre domum Dei ſed numquid viſo templo ceſſabit ? ita certè; qui templum illud Chriſti, de quo locutus eſt antequàm pateretur : Soluite templum hoc, conſiderat, hiare vulneribus, retinere amore noſtri ſigna plagarum, vt, ab iniquitate confundatur, neceſſum eſt, videt enim quid ſua egerit iniquitas, pro qua ſuſpenditur

Ioannes de Carthagena.

Chri-

Chriſtus. Sed contrarium timeo ab eis qui rurſum crucifigentes ſimibetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes *Hebr. 6.* IESVM conculcant *Hebr. 10.* Quærit hoc loco *D. Chryſoſtomus hom. 9.* quomodo conculcat quis Filium Dei ? quando ipſius particeps factus in myſterijs, peccata committit, nonne illum concultat ? nonne contemnit ? ſicut enim ea, quæ conculcamus, nullius momenti pendimus, ſic & qui peccant, Chriſtum nullius momenti exiſtimant, & ſic peccant. factus es corpus Chriſti, & tradis te ipſum Diabolo, vt conculces Chriſtum ? vtinam ! quod optamus nemo talis eſſet, vtinam fugiens ad muros, auſcultaret Dominum, de Cruce loquentem ſibi, cum Abrahamo : noli timere Abraham, ego protector tuus, ex Hebræo : ego clypeus tuus. verè enim ſicut turris Dauid vulneratus IESVS, mille clypei, pendent ex vulneribus eius. Iteratis timeo vicibus, ne, quod in vno mox videbimus, in pluribus nobis fiet. Tullia Romana Seueri Imperatoris ſæua filia (refert Valerius *lib. 6. 11. cap.*) parricidam & patris interfectorem deperîbat. adeò vt eundem iuncto curru adire properauerit. Interim veloci pergentem viâ, auriga equos ſiſtens, remoratur, quem illa magnis inclamans vocibus, cui ſtet bono, interrogat. Cadauer, reddit ille, Patris tui occiſi, viam impedit, nec vltrà, iacet obviam, progredi ſinit. Ad hæc Tullia ; age vade, cadauer Patris, equis conculca, parenti ne parce. facit iuſſa ; per calcatum Patris cadauer, ad optatum locum deuehit, nequam filiam. O quoties obuiam fit præuaricantibus mandata ſua optimus Pater Chriſtus ! quoties ſe vulneratum obijcit, vt, à peccando, reuocet ? S. Gertrudi *lib. 3.* infirmationum diuin. piet. *cap. 4.* aliquam de voce benigniſſimâ : En vides quomodo cauſâ tui amoris pependerim in Cruce nudus, deſpectus, totoquè corpore vulneratus, ac per ſingula membra diſtentus, & adhuc tanto charitatis dulcore cor meum erga te afficitur, vt, ſi ſaluti tuæ expediret, aliterque æternam fœlicitatem conſequi non poſſes vellem pro te ſola, tolerare omnia,

Chryſoſt hom. 9

Fil a, Patris cadauer conculcat.

omnia, quæ toleraui pro toto mundo. Eſto tamen idem dicat peccatoribus, calcato amore, vulneribus contemptis, quà data porta, ruunt ad peccandum ; at intelligite inſipientes, & ſtulti aliquando ſapite, quas iam oſtendit manus in reuocationem, armabit olim in vindictam, & noſtræ pretia ſalutis, fient argumenta damnationis ! Ad Maiorem Dei Gloriam.

Pſal 93.

Manè nobiſcum Domine. *Luc. 24.*

Diuam Sholaſticam S. Benedicti ſororem, cùm ſecum aliquando de rebus Diuinis agere diutiùs recuſaret, iamq; pararet abitum, fertur ſubitò tantam à Deo impetràſſe pluuiam, vt votis ſuis aſſentire cogeretur, retentus. Alterum ſcriptura commendat in Patriarcha Iacob qui cum Angelo luctatus, & Auroram eſſe ut dimitteretur prætendentem audiens dicebat : non dimittam te niſi benedixeris mihi, & benedixit ei in eodem loco *Gen. 39.* Vtrumque faciamus retinendo hodie nobiſcum Domino Aud. Et primò quidem pluuiam voluntariam ſegregemus ei plus tenebitur lacrimâ, quàm Diſcipulorum hoſpitalitate. Deinde dicamus etiam ei : Manè nobiſcum Domine ; nec enim dimittemus te, niſi benedixeris nobis. Interim auxilium nobis poſtulemus, Angelicâ ſalutatione.

S. Scholaſtica pluuiam impetrat ſubitò.

Manè nobiſcum. *Luc. 24.*

Quàm efficax in retinendo Sponſum ſegregata ab intimis pluuia, & voluntariæ lacrymæ ſint *Luc. 7.* teſtatur Maria conuerſa, cæpit enim lacrymis rigare pedes eius. Nec fruſtra, nam remorata eſt Saluatorem & ab inuitatore, ad ſe conuerſum, detinuit. *S. Petrus Chryſologus Serm. 79.* regna fletibus inclinant, & certè Chriſtum Regem Maria retinuit, quæ lacrymas inter epulas obtulit. *Hinc illud S. Laurentij Iuſtiniani lib. de ligno vitæ cap. 9.* O lachryma humilis, vincis inuincibilem, ligas omnipotentem. Iam te inclamabo, ô bone Sponſe ſanguinum, noſtrarum ſititor lacrymarum, fuge dilecte mi ! ſed ligatus es, pluuiam voluntariam ſegregauit tibi, non abibis niſi remittas ei peccata & dimittas in pace.

Chriſtus lacrymis detinetur.

Vna eſt omnium ſententia Chriſtum hodie precibus Diſcipulorum annuiſſe ex eo, quod, de ſe, loquerentur tam piè, in via. id quod ex textu Euangelij clarè deduci poteſt. At benè habet, ſi colloquium de IESV poteſt illum retinere, poteſt ligare, ne abeat, idem faciet lacryma. *S. Auguſtinum Serm. 11.* ad Fratres audiamus : Delectemur in hac infirma vita in fletu & lamento. O lacryma ! tu contra minas hominum ſuaue ſolatium ! quæ Paſſionis Chriſti es vicaria. En quod promiſi, de Chriſto paſſione colloquium retinere eum potuit, lacryma eiuſdem paſſionis eſt Vicaria, igitur non minùs IESVM retinere eſt potens. Non eſt paſſus ſine mercede de ſe colloqui Diſcipulos, ſed eos, ſuâ dignatus eſt & præſentiâ & agnitione, non deſeret etiam piàs, non tenen-
Matt. 26. tes ei, lacrymas ! Magnum faciet nobis diſcurſûs huius in-
Luc. 22. crementum id quod de S. Petri referunt lacrymis Euangeliſtæ; nam conuerſus IESVS reſpexit Petrum, & Petrus egreſſus foras fleuit amarè. Iam longè à Petro iuxta illud *Pſal: 118.* longè à peccatoribus ſalus, erat IESVS, interim ex ſua ineffabili miſericordia, conuerſus reſpexit eum, quaſi modum inſinuans, quo ſe retinere, & elongatum attrahere poſſet, nimirùm ſi fleret, & pœniteret de negatione: arripuit Petrus oblatum medium, fleuit, ſed egreſſus foras, fleuit, & IESVM retinuit, gratiam inuenit. Auditor retiaculum Domino, vt tecum maneat, ex lacrymarum & gemituum collectione confice, retinuiſti. Iam alterum reſtat vt non dimittamus eum cum Iacob, niſi
Cant. 3. benedixerit nobis, Audio in Canticis gloriari Sponſam, tenui eum neq; dimittam, ſed hoc ipſum quo modo ? Romani Apollinem aureâ catenâ alligabant Herculi, ne abiret : vana res ſed non vanum conſilium, ne tibi fugiat, ſed maneat IESVS, illum ſtrictiſſimis Amoris vinculis adſtringe, quos enim ſui amantes reperit, eoſdem redamat animitùs, ita, vt ſi eum
Luc. 22. oportuerit abire, non niſi quantum ictus eſt lapidis, auellat ſe ab illis.

Dixi

Dixi in puncto ſuperiore, Diſcipulos illum detinuiſſe ſermone, & charitatis, in hoſpitum, coëgiſſe officijs & precibus, nempè ſolet eſſe medius, vbi in nomine ſuo congregantur. Ita effectuoſum eſt illud, quod facere aliquando dignatus eſt Begghinis duabus, quæ dum more ſolito, nerent, & ſua ducerent fila, hæc eis ſacra inciderat cogitatio, quid ſi ponimus in medio noſtri puluillum IESV, & fortè veniat & conſideat nobiſcum ? Fecit ; ſuam præſentiam deſiderantibus ſe impartiri dignatus, quem diù, vt humiliter, ita dulciter vſurpare oculis, & ſancto tangere amplexu permiſſæ, dimiſerunt ; ſed poſtquàm benedixit eis. Idem S. Antonio licuit ſuper libro ſedenti Domino oſcula figere, adjocari, blandiri. Auditor ad IESVM, aut plora, aut Ama eum, manebit tecum. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Mirabilis Iesu detentio.
V. Pia Hilaria.
In eius vita.

DOMINICA IN ALBIS.

Oſtendit eis manus & latus. *Ioan. 20. cap.*

DEcantata in exedris quæſtio, cui bono Chriſtus reſurgens ex mortuis, nec iam moriens, ſacrorum ſigna vulnerum, etiam in glorioſo retineat corpore ; cuius cauſas ferè omnes connotat S. Vincentius à valentia ſermone Dominicæ præſentis. Fateor me hanc Crambem repetiuiſſe toties & toties repetitam non tam placuiſſe quàm fructificauiſſe. Quin enim ? nam dum Chriſtus (vt ait *S. Chryſoſtomus*, ſigna plagarum oſtendet dicens ; Ecce quid ego feci S. Chryſoſtomus ſuper cap. 24. Matth.

pro

pro vobis, vt vos redimerem, & ianuam paradysi aperirem, quid in nobis timor operaturus sit, iam præsagiens animus pauescit, & hominem a peccatis compescit. Interim mihi manus, & latus significatum vulneribus, ostendere videtur, quasi monens, vt eidem, simili conscriptas scriptura manus nostras, ostendamus; & sicut ille Amore nostri, descripsit nos sibi in manibus, nos grati, operibus bonis, manus ei plenas, demon-
Ioan. 13 stremus; iuxta illud *Ioan.* 13. *cap.* Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, & vos faciatis. Quod, vt plenius & vos exequi, & ego docere possim, Diuinum Numen inuocemus

Ostendit eis manus & latus *Ioan.* 20.

S. Mater Ecclesia, quod notauit D. Gregorius *hom.* 10 de suis operarijs vsque ad mortem pro DEO certantibus dicit: Manus meæ distillauerunt myrrham. Est quod glorietur Ecclesia, magna laus & insigne decus, manus stilare myrrham, ita certè opera manuum talium, assimilantur ipsi sponso, qui *Cant.* 2. fasciculus myrrhæ vocatur, maximè in passione, quam Amore Sponsæ Ecclesiæ, idest nostri, subire, dignatus est. Hoc iteratò etiam hodie vult a nobis dilectus, & fasciculus myrrhæ, ideò enim fortassis, ostendit nobis manûs, myrrham distillantes vulnerum & plagarum, vt eidem per similia opera, & actus Amoris, reciprocam charitatem, commonstremus.
Manûs Christo debemus ostendere. Videtur mihi, inclamat illud *Psal* 21. Foderunt manûs meas & pedes meos, & tu confige timore meo carnes tuas, doleant manûs, pedes, & cor, quia non dabis ea, nec permittes illis, quæ desiderant, doleant, cùm negaueris mei Amore, quorum trahuntur voluptate.

Mirabiles Rex Propheta commemorat manus, quas etiam ipse declinat- cùm dicit *Psal.* 25. Ne perdas cum impijs Deus animam meam & cum viris sanguinum vnicam meam, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus. Idem dicere videtur alibi: qui operantur iniquitatem, & super

& super innocentem accipiunt munera. Similes manûs, non conueniunt manibus Sponsi, quas hodie foras ostendit, ille enim dilexit Iustitiam, manus eius aureæ, tornatiles, plenæ hyacinthis; non muneribus, non furto & vsuris, non operibus mortuis. Mutium Scæuolam Romanorum fortissimum referunt, cùm vellet Porsenam Regem occidere, & errâsset in persona, mox illam erroneam manum, igni ad ipsum exussisse humerum; de quo Poëta: Mut. Scæuolæ factum.

Hanc spectare manum Porsena non potuit.

Auditor! quot foremus Scæuolæ, si quisque suas vreret manûs, qui loco operum bonorum, operantur mala, & voluntariè omittunt meritoria vitæ æternæ? optimum certè consilium, tales manûs, vt exuramus, talia, opera igni condemnemus. peccauit manus? vratur, malum subit desiderium vratur, titillat concupiscentia carnis? exuratur. Christo suadente *Matt.* 18. si manus tua scandalizat te abscinde eam, & proijce abs, te. Simus Scæuolæ, erronea opera, desideria, concupiscentias, damnemus igne, ne tradamur igni. Sanctus Patriarcha Franciscus, dum a Maura pelliceretur ad peccatum, fugit ad ignem, vssit corpus suum, vepretum ingressus, mortificauit carnem. Mart. S. Francisci factum in eius legenda.
Auditor! ignem igni, malum malo, optimè supprimimus, & opprimimus; prurit manus in rapinam? ad ignem, prurit caro? ad ignem; vrit libido? vratur igne; confige timore Domini carnes tuas, crucifige eam, cum concupiscentijs, vt Christi esse possis, qui, en vocat te: pone me vt signaculum super cor tuum vt signaculum super brachium tuum. *S. Ambrosius in Psal.* 118. *Serm.* 15. Infige pectori tuo, & cordi Prou. 3. c.
tuo, imaginem crucifixi, infige & brachio tuo, vt opera tua, peccato mortua sint. sed quid est dicere, vt sint opera peccato mortua? vt non pecces, vt cor ab his, quæ noxia saluti, quæ, cum offensa Dei fieri debent, abstrahas, manum, pedem, cohibeas. vide manûs Christi foratas, & tene manum ab opere malo, quod fit instrumento manûs, vide latus transfixum

 ad cor,

ad cor, & caue ab omni concupiſcentia, quæ ex corde procedit, & cogitatione illius, vide manûs ſaucias, &, ab omni via mala prohibe pedes tuos, ſicut dicebat Rex : ab omni via mala prohibui pedes meos vt cuſtodiam ſermones tuos. ſcis qui ſint ſermones eius ? Ecce in manibus meis deſcripſi te, quare tu manum tuam mittis in mortem? deſcripſi te in latere, cur de corde tuo exeunt praua deſideria ? deſcripſi te in pedibus, cur veloces pedes tui in viam iniquitatis ? & non in viam mandatorum meorum currendam ? Hinc D. Paulus *Hebr. 6.* eos, qui poſt acceptum redemptionis beneficium peccant, rurſum crucifigentes Filium Dei, vocat.

Apparuerat aliquando D. Birgittæ, ſub tali Schemate vulnerum, Christus ; cuius territa aſpectu, exclamans ait ; vnde verò ô bone IESV ? tam recentia vulnera tibi & plagæ ? Ita me, reſpondit, etiamnum vulnerant charitatis meæ contemptores, Ecce, dum peccamus, vulneramus !

Brig. l. Ex. D Anton. 3. parte Chron. tit. 23 c. 11

Frater Petrus *Ioan. Saragocade Heredia lib. 3.* vitæ Mariæ Ragiæ *cap. 5.* Maria Ragia tertiana S. Domin ci quodam die poſt ſacram communionem vidit Chriſtum ad Columnam ligatum & crudeliſſimè flagellatum, qui grauiter lacrymatus eſt. Cui Maria : ah bone IESV, quanta tibi vulnera inflixerunt peccata mea ! Ita fit, reſpondit ille ; ô filia mea, ego tanta paſſus ſum pro peccatoribus, illi autem me adeò vulnerant. Tum Maria cum lacrymis, quin porrò bone IESV facis, ne vltrà te conuulnerent ? & IESVS, diductâ veſte ; hunc affer inquit, manum tuam & vide ; vix tetigit, & Amore elanguit ! En ? cui bono Chriſtus, ſuorum reſeruet ſigna vulnerum, vt nos eorum aſpectûs & memoria, gratos reddat, ſuæ charitati ! Igitur cum D. Auguſtino in Manuali 22. *cap.* cùm te pulſat aliqua cogitatio, recurre ad vulnera Chriſti, cogita (amabo) illa vulnera, olim tibi oſtendenda à ſeuero iudice, quæ nunc ſcis, perpeſſa à tam pio Patre. Inſpice vulnera (quondam pro te in Cruce) pendentis, ſanguinem morientis, pretium redimentis.

Apparitiones Chriſti vulnerati mirabiles.

DOMI-

DOMINICA II. POST PASCHA.

Bonus paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis *Ioan. 10.*

MInimè miror S. Concilij Tridentini de officio boni paſtoris ſententiam, cùm ipſe ſummus paſtor Chriſtus dicat : Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis, eſſe onus hoc Angelicis formidandum humeris, vti & omnis alterius dignitatis honos, omninò eſt magnum onus. Hinc quidam, apud Diuum Vincentium ad munus Epiſcopale electus cùm rogaretur velletnè Epiſcopari ? audenter reſpondit : Volo ; ſed vltrà rogatus, velletne DEO, de animabus ſibi credendis, rationem, in diſtricto iudicio reddere ? nolo, ait, quia ego putabam Epiſcopari, eſſe gallinas comedere, aut conuiuari. Nimirùm ! onus eſt formidandum, ſed omnium Diuinorum, teſte Nazianzeno, Diuiniſſimum, coöperari Deo, in ſalutem Animarum. Cùm vero diuerſimodè, varij, huius tam Diuini Officij participes efficiantur, præter Epiſcopos & Sacerdotes, puta Domini temporales, parentes, pupillorum tutores, patres familias, idcircò dicemus de ſingulis ; ita : vt demonſtratur eſſe malè, ſine paſtore bono ; peius tamen cum paſtore malo ; ſine Domino ſubditis malè, at peius cum malo ; liberis ſine patre, eorum peius his, cùm malo patre ; ſine tutore, at peius, cum tutore malo ; ſine patre familias bono malè, peius, ſi ſit ipſe malus ; ſuadendo vt quiſq; velit eſſe bonus. Quod cedat, Ad Maiorem Dei Gloriam.

Honor nō Honor ſed eſt onus.

Bonus Paſtor animam ſuam dat pro omnibus ſuis.

QVàm malè ſit ouibus abſq; Paſtore, ex Propheta 3. *Reg. 22* dicente : vidi cunctum Iſraël diſperſum in montibus, quaſi oues,

3. Reg. 22. cap.

oues. non habentes pastorem, liquidô constat; sed quid absq; pastore oues ? Hoc quod Christus in Euangelio hodierno dicit; Mercenarius videt lupum venientem, & lupus rapit, & dispergit oues.

Hoc sibi & populo timebat quondam Moyses, inclamans Dominum *Num.* 27. Prouideat Domius, Deus Spirituum omnis carnis, hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire, & intrare ante eos, ne sit populus iste, sicut oues sine pastore. En quam sit malè sine pastore ouibus ! & sic de zeliquis sino pastoribus suis. In scriptura sacra memoratur tale tempus, quo nec pastor, nec Rex populi vllus extitit: In diebus illis non erat Rex in Israël, sed, vnusquisq; quod sibi rectum videbatur, faciebat. *Iudic.* 21. *cap.* Auditor ? quis rerum illic fuerit status, facilè est animaduertere, ego quidem, internum eo tempore extitisse, crediderim, quale S. Iob describit *cap.* 10. fatus: vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Si enim ætate nostrâ, foret similiter, & vnusquisque quod sibi videtur rectum, faceret, præter ordinem futurum nullum, præter horrorem omnium; fieret, quod petulantiores & ebriosi facere solent, via cedere viliori cogeretur nobilior, nec vlla haberetur statûs, aut dignitatis ratio, verbo omnium esset ruina rerum, vtique, ruente ordine, qui est rerum Anima, pronum est etiam, res ipsas ruere. Quid ? dato quod omnis cessaret authoritatis & Magistratûs dignitas, quæ insolentia vt cresceat, foret necessum ? patet igitur sine oui Pastore esse malè. Verùm videamus & consequens, nimirùm adhuc peius fore fuurum cum malo Pastore, & Officio, patre, tutore, patre familias, idem enim singulorum, & contra, est iudicium. S. Gregorius *hom.* 17. monet: considerate ergo quid de gregibus agetur quando pastores ipsi lupi fiunt, quasi diceret ad propositum meum, malè fit sine pastore, sed cum malo pastore adhuc peius, quando is cui imcumbebat tutela & protectio, ipse lupi more, ouem mactat & deuorat, cuius erat errantem

Sine Rege Regymin ferno simile.

Prouerb. Zięzdzey

tem corrigere, ipse facit errare, quando denique ipsi peccant, qui aliorum peccata compescere tenentur. malè fit ouibus absque pastore, sed peius fit cum illis, sub pastore simili, subditis malè sine præside, & Domino, at sub tali peius, liberi sine patri miseri, at longè malo cum patre miseriores, væ, viduis, orphanis, & pupillis, qui carent patrono, verùm væ iterùm, iterumque magis, sub Patrono nequam.

De initijs Dominatûs & Regum sacer textus 1. *Reg.* 8. *cap.* sic habet: vniuersi maiores natu Israël venerunt ad Samuelem in Ramatha, dixeruntq; ei: Ecce tu senuisti, & filij tui non ambulant in vijis tuis, constitue nobis Regem, vt iudicet nos, sicut & vniuersæ habent nationes. Hic sermo eorum, non soli Prophetæ, sed ipsi adeò ingratus fuit Domino, qui consentire iubens Samuelem voci eorum, & dare eis Regem, etiam Ius Regium, eisdem iubet denunciari publicarique. Itaq; ex ore Domini ait ad eos: Hoc erit Ius Regis, qui imperaturus est vobis; filios vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq; sibi equites, & præcursores quadrigarum suarum, & constituet sibi Tribunos, & Centuriones, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum. Filias quoq; vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & olíueta optima tollet, & dabit seruis suis. sed & segetes vestras, & Vinearum reditûs addecimabit, vt det Eunuchis & famulis suis. seruos etiam vestros, & ancillas, & iuuenes optimos, & asinos auferet, & ponet in opere suo. Greges quoquè vestros addecimabit, vosque eritis ei serui. Et clamabitis in die illa, à facie Regis vestri, quem elegistis vobis, & non exaudiet vos in die illa. Auditor! malè est subditis esse sine Rege, filij Israël petunt sibi Regem; quod si fuerit iuxta Ius Regium districtus ? quid si vltrà Ius, tam amplum, auidus aut auarus ? nimirùm cum malo viuere, & sub malo Rege, aut Domino, est multò peius.

Ius Regũ est ab ipso Deo, ad terrorem populi prædictum.

Nostin Roboämum sapientissimi quondam Regum Salomonis

nis

nis Filium ? quanta & quæ in homine præsumptio dicam an dementia ? relaxari sibi poscunt subditi onera, ille aggrauaturum se pollicetur, & : Pater meus, inquit, cecidit vos flagellis, ego cædam uos Scorpionibus *3. Reg. 12.*

Et quod mireris apud Isaiam *16. cap.* dum populo Dei orat dari Regem aut Dominum, ait ; Emitte Agnum Domine dominatorem terræ. quid Regibus cum Agno ? fallor Propheta. Sancte, optimè Agnum petis in Imperatorem, Regem, & Dominum terræ, hoc enim proprium esse debet Dominis, quod est à natura Agnis, mansueti puta, clementes, mites, vt sint, & fœliciter regnent. At nomen quidem Clementiæ, titulum Misericordiæ ambimus, sed Agni, in vtriusq; executio virtutis, non comprobamur. Hinc pulchrè. vt ferè semper solet, quæsiuit Abulensis: cur missus ab Elizeo Giezi, puerum mortuum non suscitauit ? tandem venit ipse Propheta. & ecce vox, ecce spiritus, ecce vita. Citò dicam, ex eodem Episcopo. Giezi volens suscitare, posuit super eum baculum, & non erat vox neque Spiritus ; venit Propheta, incubuit super eum, inspirauit in os eius, & calefacta est caro pueri, ideò surrexit, ideò reuixit. Auditor ! noli bonum pastorem vocare Regem, Dominum, qui mox ad verbera pronus qui suffocat, proterit pedibus, furit, & præ iracundia apud se non est. Ille Dominus clemens est, & audit benè, qui Agnum æmulatur. Verum est, lubens fateor, etiam seueros, oportere subinde esse huiusmodi ; verùm tamen in Spiritu lenitatis, amore correctionis magis, quàm vindictæ propriæ. Nam, quod in dies fieri videmus, mollis lactuca, & salis modicum, & mordacis nonnihil aceti, requirit ; sed plus olivi. Et Samaritanus vulneraquondam ex charitate alligans *Luc. 10. cap.* infudit oleum & vinum. Hæc Dominantibus. Cæteri, non me habebunt obligatum promissi, quod exoluo. Nostrâ memoria, insignem aliquem audire est supplicio affectum Latronem, quem duo comitati sunt ad furcam filij, eiusdem professionis rei, & eadem damnati pœnâ. Præiuit, à carnifice tractus, Pater, & Filiorum respiciens capita, hæc lacrymans efflebat : ô cara pectora filij ! quos erudire meum fuit, ad placendum Deo & hominibus, hos meo ductu, video, has tam ditas æquè, ac iustas ; promeruisse vos pœnas ; subsequimini, præeo malus pater, vt olim exemplo, nunc supplicio.

Inclementes, Clementis vsurpãt titulum.

Lactuca oleum, salé, & acetum requirit.

Anno 1649.

Auditor ? multi parentes, parentes non sunt, sed peremptores, ita vt peius sit subinde, malos habuisse, quàm nullos. Ante omnia, opus est, vt Patres non solùm nihil peccando, verùm etiam singula manifestè peragendo, manifestũ sese filijs exhibeant exemplar, vt in eorũ vita se, vt in speculo intueantur. *Luc. 18. cap.* Saluator, Iudex inquit erat in quadam Ciuitate, qui Deum non timebat & hominem non reuerebatur. Vidua autem quædam erat in Ciuitate illa, & veniebat ad eum dicens : vindica me de aduersario meo. & nolebat per multum tempus. Post hæc autem dixit intra se ; etsi Deum non timeo, nec hominem reuereor, tamen quia molesta est mihi hæc Vidua, vindicabo illam, ne in nouissimo veniens, sugillet me. Audite (ait Dominus) tutores & patres orphanorum & Iudices Viduarum, ne in nouissimo die sugillent vos, vindicate pupillos & Viduas, timete illud *Psal. 67.* Turbabuntur à facie eius patres orphanorum & Iudices Viduarum. Nempè. Psal. 67.

Tantæ molis erat pastorem fingere verum.

DE EADEM
DOMINICA.

Ego sum Pastor bonus. *Ioan. 10.*

COmmunis est Doctorum sententia Animam hominis qua constat & corpore, vocari ouem, cuius Pastor ipse idem Homo constituitur dicente scriptura : custodi temetipsum & Animam tuam sollicitè *Deut.* 4. *cap.* quod idem confirmare videtur Saluator *Ioan.* 12. fatus : qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam. Hinc ego hodie eruam tale documentum. Ille Homo, erit pastor bonus, respectu ouiculæ Animæ suæ, qui odit eam in hoc mundo. S. Ioánnes Chrysostomus *hom.* 66. in Ioánnem exponit : qui non paret ei cùm noxia iubet, siquid præter Dei voluntatem nobis imperat, vehementer aduersatur, ita, quidem, vt malit mori quàm Deum vel leuissimè offendere quod sit. Ad Maiorem Dei Gloriam.

S. Chrys. hom. 66 in Ioán.

DE Argumento quod tractamus quondam Christus *Matt.* 19. quid prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit Homo commutationem pro anima sua ? D. Chrysostomus : Omnia duplicia dedit nobis Deus, oculos duos, manus duas, animam verò vnam, hâc igitur amissâ quânam viuemus? vult hic Doctor nobis animam vt vocat Rex Propheta vnicam, ante oculos ponere, velut ouem, de qua benè custodita, ipse gloriatur *Psal.* 118. Anima mea in manibus meis semper. Hinc malè sapuit Rex Salomon qui *Ecclesiastæ* 2. ait : omnia quæcunq; desiderauerunt oculi mei dedi eis, nec prohibui cor meum. Non hic plusquam Salomon Christus *Matt.* 5. *cap.* at contraria omnia : si oculus tuus scandalizat te erue eum & proijce abs te &c. Gloriabatur quondam de suo officio pastorali Iacob *Gen.* 31. fatus : die noctuque æstu vrebar & gelu, fugiebatq; somnus ab oculis meis. sed meritò vigilas sancte Pastor ; quid enim decet ouium pastorem magis atque vigilantia? ne fortè dormiente illo, veniat lupus, & mactet, & deuoret, vigilandum ei omninò. O quàm longè præ ouium custode

stode incumbit hoc ipsum pastori Animæ suæ, ne veniat Leo rugiens, & quærens quem deuoret 1. *Petr.* 5. ne pariat incautam animam, & non sit qui eripiat *Psal.* 7. Verùm cùm nos hæc in Animæ cura homini cuilibet commendamus, eheu quot illos pessimos Endymionas reperias, qui in vtramque aurem dormientes, animam sibi sinunt eripi !

Dæmon Leo, & Lupus est.

Esau *Gen.* 15. *cap.* vnius lentis edulio primogenita vendidisse nec doluisse legitur ; venditor stultissimus. sed plurimos habet Orcinus negotiator Esau similes, venditores Animarum; qui cocto pulmento tentationum variarum allicit habetq; dicentes sibi : da mihi de coctione hac, & Animam tibi tolle, fac me potiri optatis desiderijs, degustem illum, & illam voluptatem, de Anima minus fit. O Pastor idolum ! ô pastor ! iniq; tam pretiosam ouem, Christi redemptam sanguine, velut aureo decoram vellere, tam vili vendis delectatiunculâ ? Doctissimus Origenes putat illud Domini ad Sathanam *Iob.* 2. *cap.* Ecce in manu tua sit verum, tamen animam illius serua istum habere sensum : Animam eius ne tetigeris quæ ad imaginem Dei est creata. Auditor animam tuam vide ne tetigerit negotiator Orcinus dum illi nimiùm indulges, dum cum Salomone, nil eorum, quæ desiderat, negas. vide, ne tuâ culpâ, pereat, vnica tua !

Ouis Anima.

Duo sunt qui mihi videntur admiratione digni in votis suis. Inprimis Thamar *Gen.* 38. pro consensu in incæstam libidinem postulans hædum, & *Luc.* 12. filius senior querulus contra patrem, quod sibi nunquam dederit hædum. sed quid miraris ? fædis fæda placent. exæquant prætia tam insulsa vota ! vis tertium ? ecce pastor Animæ Homo quoties carnis desiderijs actus in peccatum prolabitur, toties præ oue illa pretiosissima, quam Christus redemit, Hædum, & fætidius Hirco cadauer, amat.

Thamar & Prodigus, Hædum petunt.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum & iterum modicum. *Ioann.* 16.

EXclamandum ne hodie cum D. Augustino ? modicum est hoc totum spatium quo præsens peruolat sæculum *tract. in Ioan.* 101. imò & concludendum ita. Ergo huic modico non fidendum tempori, sed potius spernenda omnia, quæ transeunt, & amanda, quæ æternùm durabunt. Quod sit, Ad Maiorem Dei Gloriam.

Psalmo 89. Rex Propheta Anni, inquit, nostri sicut aranea meditabuntur tabescere fecisti sicut araneam animam eius, verumtamen vanè conturbatur omnis homo *Psal. 38.* Auditor anni nostri sicut aranea & tabescimus sicut aranea euiscerans se vt vnam subinde capiat Muscam, totâ die & nocte tendit illa insidias ad retiaculum suum, interim vno scoparum tractu, totus ille, tam arduus labor, pessumdatur ; & nos vnius comparandæ nobis voluptatis gratiâ, quot horas laboramus ? quæ in momento præteruolat ? quot annos edit Sollicitudo diuitiarum ? quæ Dauidi *Psal.* 1. velut somnium surgentium, quasi dicat : somniat aliquis fieri se Regem, affluere diuitijs, sed expergefactus nihil inuenit, cum Viris diuitiarum in manibus suis.

Quærebat Apostolus Iacobus quid esset vita nostra super terram & respondit : vapor est : ad modicũ parens *Iacobi 4. cap.* S. Bernardus *Epist. 103.* Væ ! væ vapor est ad modicum parens. quod æternæ felicitatis aditum intercludit, quod perennis luminis incircumscriptam claritatem abscondit, quod vniuersi-

tatis

tatis scientiâ priuat, quod summæ fraudat dignitatis honore. Quousq; tu tantæ gloriæ præters fænum quod hodie est & cras in clibanum mittetur ? Audi *Iobum cap. 14.* dicentem Homo natus de muliere breui viuens tempore, quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra. en modicum parentem ! fu- Apoc. 14.
git velut vmbra. *Ioannes Apocalypticus cap. 14.* Amodo iam inquit, dicit Spiritus vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos. sed qui spiritûs ? Hominum mundanorum, diuitum, gloriæ cupidorum, cùm interiêrit (inquit) non sumet omnia neque descendet cum eo gloria eius *Ps: 48.* sed opera tantùm sequentur eos. Quid porrò etiamnum stertimus modicum vitæ habentes ? quin cælestia potiùs desidera-
mus ? *S. Gregorius hom. 15.* de diuitijs, imò cunctis transitorijs S. Gregor.
pronuncians ait : fallaces enim sunt, quæ nobiscum diu per- hom 15.
manere non possunt, fallaces sunt, quæ meritis nostræ inopiam non expellunt, solæ autem diuitiæ veræ sunt, quæ nos diuites virtutibus faciunt. Hinc consequenter impendiò multa fatur : si ergo fratres carissimi diuites esse cupitis, veras diuitias amate ; si culmen veri Honoris quæritis, ad cœleste regnum tendite ; si gloriam dignitatum diligitis, in illa superna Ange-
lorum Curia, adscribi festinate ! Quàm appositè ! festinate in- Ehe. 15.
quit in illa superna Angelorum Curia adscribi, quia modicum Luc. 24.
vitæ habetis, dum igitur tempus habemus, vt ait Apostolus, operemur bonum ad omnes, quoniam aduesperascit & inclinata est iam dies, imò nox venit, in qua operari non licebit. Mirabile aliquid innuere videtur illorum *Ieremiæ 24.* verborum : date florem Moäb versio Chaldæa legens, auferte coronam Moäb. Et alia diens : Date alas Moäb. Scimus ex Iobo flori comparatum Hominem qui velut coronâ anni redimitur dum sua florens extenditur vita, sed iubetur auferri corona, & alæ mandantur aptari, vt intelligat, quasi flos egrediens Homo, & se conterendum, & omnem sibi per citæ mortis alas gloriam & decorem esse auferendam. Non tardat latro vitæ sæuissi-

sæuissi-

Deut. 32. sæuissimus, Mors, & adesse, vel potiùs ad non Esse festinant humana tempora. Quid porrò igitur ? festinemus ingredi in illam requiem, quò non nisi bona sequuntur opera, vbi nullum modicum, sed æternant cum suo Deo omnia. Faciamus de modico vitæ quod Romanorum Imperator Maximilianus, qui super pauimento, omnia Honorum & Maiestatis suæ humi lo-
Maximili- Imperat: symbolũ. cans insignia, hanc eis dignam se adscriptam voluit Epigraphen : Nil terrena moror, dum super astra feror. Cumulemus nobis in modico plurima bona, vt eisdem frui mereamur in æternitate. Ad Maiorem Dei Gloriam.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Quo vadis ? *Ioan. 16. cap.*

Prov. 16. ESt via quæ homini videtur recta, inquit Sapiens, & nouissima eius ducunt ad mortem. Et verò etiam plurimos facilè inuenire est, qui putant se ire viâ salutis, & mortem inueniunt non vitam. Multi interrogati hoc verbo : quo vadis ? præsumunt respondere cum Christo ; ad Patrem vadò ; interim deueniunt ad Patres suos, quorum viam elegerunt malè. Nec inconuenienter de talibus illud *Ioànnis 3. cap.* de spiritu dictum pronunciari potest : vbi vult spirat, & vocem eius audis & nescis vnde veniat, aut quo vadat. Tales igitur septennario capitalium peccatorum numero producam & titulo, interrogando singulos : quo vadis ? vbi verò responderint : ad Patrem vado, prodam mox & Patrem singulorum, ad quem vadunt. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Quo vadis superbe ? ad Patrem vado.

NOn est aliter dilecte ! ad Patrem vadis, sed illum qui concessis non contentus honoribus, Altissimo voluit fieri similis, cui nunc dicitur : quomodo cecidisti Lucifer ! nam lucem, quam re & nomine ferebat, ita superbiendo perdidit, vt meritò Luciperda vocari debeat. Altus est Deus inquit Aug. erigis te ? fugit à te. Miraris fugientem ? Deus est salus, sed longè à peccatoribus ait Rex Propheta. Epulonis damnatio- Psal. 118.
nem multi peccato isti Superbiæ adscripserunt, dum enim purpura & bisso Regiè vestit non-Rex. vadit ad Patrem imò iam peruenit teste *Luca* : sepultus in inferno. Via superbiæ tam Luc. 16.
certa est mortis, vt vnicum Non venimus, ad ipsam duxerit mortem superbos Dathan & Abiron. Quod exprimens Vates Num. 16.
Regius ait : Aperta est terra & deuorauit Dathan & operuit super congregatione Abiron. Facilis descensus Auerni, Super- Psal. 105.
bis ! illuc, alij in curribus, alij in Equis feruntur. Spicæ granis vacuæ super alias extanti hoc non nemo Lemma affinxerat : Leuitate superbit & extat. Verùm ô leuissima quid erigeris ?

Verte superbe viam non est bona semita verte.
Hâc periêre omnes quotquot iêre via!

Quo vadis Auare ? ad Patrem vado.

Noui ah noui Patrem tuum qui proiectis in templo argenteis, laqueo se suspendit, & crepuit medius & effusa sunt omnia viscera eius. O Crocota quid agis ? Verte viam, non est hæc vitæ, at semita mortis. Quærebat aliquando Ecclesiasticus, virum admirabilem cùm diceret : Beatus vir qui inuentus est sine macula, & qui post aurum non abijt, nec sperauit in pecunia & thesauris quis est hic & laudabimus cum fecit enim mirabilia in vita sua. Non abire post Aurum, non sperare in pecunia, & thesauris ita sunt prodigiosa ; accende lucernam, Eccles. 31.
cum Diogene, hominē quære inter Homines similem, & credes.

Auri sacra fames quid non mortalia cogis Pectora ? Dicat

In legend. S. Anton. Vsurarius ille in cui' Exequijs D. Antonius à Padua dixit: mortuus est hic diues & sepultus est in inferno, vt verò ita se rem
Vsura periculosa. habere credatis vadite domum eius, & in scrinio Cor suum à cane Orcino obsessum inuenietis. Auditor! vadit Auarus ad Patrem sed non Deum omnipotentem.

Quo vadis Irate ? ad Patrem vado.

Et quare rubrum est vestimentum tuum spirans irarum & cædis in proximos? i fili Cain ad Patrem, qui enim irascitur
1. Ioan. 3. Matt. 5. fratri suo homicida est, & reus est gehennæ ignis. At magna iniuria est. ad vindicandum ipsa Lex, ipsum me Ius inclamat. Fama plus est custodienda quàm oculi L. de infamia. c. de decur. lib. 10. Sed Pater noster qui est in cælis suadet contrarium: diligite inimicos vestros & bene facite ijs qui oderunt vos, vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est *Matth. 5. cap.* Vnde.

Verte viam moneo non est via recta salutis,
Quâ periêre omnes, quotquot iêre viâ.

Quo vadis Luxuriose ? ad Patrem vado.

Tob: 3. Sed fortè Asmodæum illum qui jugulat viros Saræ incontinentes? væ illi qui tunc habet terminum luxuriæ quando & vitæ S. Bernard. lib: de Ordin: vit.

Certè cogitatus tui & praua desideria, quibus omni passere leuior aliena peruolas tecta & lectos, est perditionis æternæ via. si enim videre mulierem ad concupiscendam eam mæchari est, quid vltra?

Refert speculum Exemplorum iuuenem quendam syluam ingressum intentione non bonâ. Cui primùm obuius Dæmon ait: Vade breui enim mei juris eris. Deinde ipse Saluator eundem iuuenem affatur dicens: quo vadis fili? excandu it ille & non sum tuus Filius, dixit. Imò, intulit Dominus; ego sum ego verè Pater tuus, & diductâ veste vulnera ostendit. Hinc iuuenis cum lacrymis: Dominus & Pater meus. Tandem

dem ait illi Dominus: vade, ille enim prior tibi factus obuiam Dæmon erat, fracturusque collum fuisset tibi si peccauisses. Redit postremò Dæmon interrogatur à Iuuene quem quærat? & ait: ingressus est syluam ille quem quæro, sed tu non es ille. Verte viam leno non est bona semita verte. Cogita Hom. 63.
tecum inquit D. Chrysostomus, si aut à Natura Eunuchus esses, in Matt.
aut iniuria hominum sic effectus quid faceres? cùm & eiusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris? Gratias igitur Deo agas, quia magna præmia rutilantesque coronas habebis, si ita viues, quemadmodum fine aliquo illi præmio! Si verò ad Patrem contrariæ virtutis ire lubet, SS. Duces Nicetam, Vincentium Ferrerium, Iosephum Patriarcham sequere, non errabis!

Quo vadis Inuide ? ad Patrem vado!

Non deprehendes illum domi, quia dixit Apostolus quòd circumeat quærens quem deuoret. Et Sanctus Iob ait quòd 1. Petr. 5.
perambulet terram, ideò fortasse quia rumpitur inuidia, contra sedium quondam suarum possessores futuros Homines. Pulchram sancti Iob sententiam: Paruulum occidit inuidia, innu- Iob. 5.
mera ostendunt passim exempla Inuidorum, quos nonnemo Laured.
primogenitos vocat Diaboli, nostris bonis adeò affligi soliti, vt occidi videatur. Certè Achitophel, videns quod non fu- 2. Reg. 17.
isset factum consilium suum suspendio interijt. Lyranus verò exponit, quia videns Consilium Chusi æmuli sui approbatum, ipse se ex indignatione & inuidua suspendit. Verba *Psalmi 17.* Dolores inferni circumdederunt me. S. Augustinus legit: Dolores Inuidiæ circumdederunt me! Aduertite Inuidi quem Patrem & quò sequamini! eò videlicet vbi dolores, vbi fletus, vbi dentium stridor & nulla redemptio.

Verte viam non est bona semita liuide verte,
Hâc periêre omnes quotquot iêre via!

Quo vadis Gulose ? ad Patrem vado!

Rosimũdà ex cranio Patris sui, bibit. Rosimundam bello captam Albuinus Rex vinum bibere coëgit ex poculo facto de occisi Patris sui cranio, dicens: Bibe cum Patre tuo. Gulose bibe & tu cum Patre tuo, qui tibi de crũce propinat fel & acetum, cùm enim gustasset noluit Hist: longob, bibere, puta vt tibi remaneret. De torrente in via bibit suæ passionis, ne tu ampliùs fel biberes ebrietatis. Quærebat aliquando Sapiens cui væ ? & respondit: qui commorantur in Prou. 23. vino, & student calicibus epotandis.

Helluo verte viam non est bona semita verte,
Hâc periêre omnes quotquot iêre viâ.

Iudith. 13. En tuus Pater Holofernes iacebat in lecto nimiâ ebrietate sopitus, vt ictum vulneris sentire non posset, inquit S. Ambrosius de Elia & Ieiunio.

Quo vadis Acediose ? ad Patrem vado !

Super testudine video veheris & Pater tuus ad quem vadis è cochlearum est familia, tardus ad confitendum Domino & seruiendum ei ! vbi eras cùm me laudarent astra matutina ? expostulat apud *Iobum cap.* 18. Deus ! ô podagrici ad assisten- Dan. 7. dum ei de quo legitur: millia millium assistebant ei & decies centena millia ministrabant ei !

Verte viam segnis non est bona semita verte,
Hâc periêre omnes quot quot iêre viâ.

DOMINICA.
ROGATIONVM.

Petite & accipietis. *Ioan.* 16.

LEgifer

LEgifer noster Christus qui exemplum dedit nobis, vt quemadmodum fecit & nos facia- Ioan. 13. Luc. 5. mus, prius erat pernoctans in oratione DEI, quam nobis illam tam enixè commendaret dicens: petite & accipietis ! ô quantum & qualem Authorem habet Oratio Christum DEI Filium ! Hinc D. Ambrosius: species inquit tibi datur, forma præscribitur quam debeas æmulari ! Sed Lib. 5. in Lucam. quid in Oratione Dei commendatissimum aut quid accipere facit nos petita vel potissimum. A multis quidem commendari potest, veluti à violentia. astu pio, ab Impudentia sancta, ab Humilitate. De quo, Ad Maiorem Dei Gloriam.

Petite & accipietis. *Ioán.* 16.

LVctubatur noctem totam cum Angelo insomnis Iacob, perstititque ad ipsissimum vsq; exorientis Auroræ jubar & lumen, quâ prodeunte dicebat ei Angelus: dimitte me iam ascendit Aurora *Gen. 32.* Nihilominùs arctius eum tenebat Iacob reddens ei: non dimittam. & (conditionem interposuit) nisi benedixeris mihi. Hic sacertextus quasi diremptæ euen- Gen: 32. tum luctæ memorans, ait, & benedixit ei in eodem loco. Orationem toties à Christo commendatam & Sanctissimis olim vsitatam Patriarchis, velut quædam vincula ipsum ligantia omnipotentem, luctæ huic similem quâ Deum ligamus & vincimus, esse omninò mihi persuadeo. Luctatur oratio nostra Oratio similis luctæ cum Deo, quæ si perseueret, violentat eum sicut Iacob Angelum Abscondis thesaurum tuum, inquit S. Anselmus, vt inuites cupidum, recondis margaritam vt augeas quærentis amorem, differs dare, vt doceas petere, dissimulas audire petentem, vt facias perseuerantem. Hinc *Luc. 11.* ille ab amico petens panem, & excusantem se, quôd esset in cubili cum pueris, pulsatione ostij inquietans, & quasi vi fores effringens, obtinuit quod petebat. *S. Ambrosius lib* 7. in Lucam quis autem amicior nobis ? quàm qui pro nobis corpus suum tradidit ? &

 ideò

ideò inquit scriptorum memores noctibus ac diebus orationi instantes, peccatis nostris veniam postulemus; quia differt dare vt doceat petere, distimulat audire petentem, vt faciat perseuerantem.

Nunquam ab Impudentia sancta commendare Orationem præsumerem, nisi D. Gregorium Nanzian: haberem, qui de sua Sorore sancta Gorgonia dixit: sanctâ quadam impudentiâ efferebatur & minabatur, non se recessuram, nec dimissuram altare, nisi sanitatem reciperet. Et nonne sacer textus idem in Moyse animaduertendum proponit? Retulerat Dominus Moysi peccatum graue, quo se populus, in eius contaminauerat absentia, additis minis, de pœna ex eo sumenda. Quid porrò Moyses? aut dimitte, inquit, eis noxam hanc, aut dele me de libro vitæ quem scripsisti *Exod. 32*. Placet ex nouo testamento audire simile? audi. transibat IESVS Samariam & ecce mulier Chananæa *Matt. 15*. clamabat: Miserere mei fili Dauid. non sum missus respondit IESVS nisi ad oues, quæ perierunt domûs Israel. quid illa? non Domine; esto ad solas oues missus sis, ego quidem sum, sed etiam ita petere præsumo quia scio etiam catellos micas legere de mensa Domini deciduas. impudenter visa est orare, & Dominum inquietare, interim meruit impetrare & gloriosè insuper laudari: O muler magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Inesse astum pium orationi sanctæ, ab Abraham Patriarcha, placante Dominum iratum Sodomitis, accipio *Gen. 18. cap.* numquid Domine perdes iustum cum impio? (ita dicebat Abraham) si fuerint quinquaginta Iusti in Ciuitate peribunt simul & non parces loco illi propter quinquaginta Iustos, si fuerint in ea? absit à te, vt rem hanc facias, & occidas justum cum impio, fiatque iustus sicut impius, non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram, nequaquam facias iudicium hoc. Dixitq; Dominus: si inuenero Sodomis quinquaginta Iustos in medio Ciuitatis dimittam omni loco propter eos. Mox Abraham: quia semel cœpi loquar

S. Gregor. Nanz. orat. 11.

Exod 32.

Gen. 18

quar ad Dominum meum cùm sim puluis & cinis; quid si minùs quinquaginta Iustis quinq; fuerint, & sic descendendo minuebat numerum vsque ad decem; cui Dominus: non delebo propter decem. & abijt Dominus. ne orante Abraham dimitti propter vnum, dimittere cogeretur.

Quid Thecuitem commemorem? nonne astu pio Dauidem placabilem Absoloni reddidit sub specie filiorum *2. Regum 14.* serua me Rex, ita cæpit ingressa ad Dauid, qui ait: quid habes causæ? mulier Vidua ego sum; mortuus est enim vir meus, & ancillæ tuæ erant duo filij, qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusque erat qui prohibere eos posset, & percussit alter alterum, & interfecit eum. Et ecce consurgens vniuersa cognatio aduersus ancillam tuam, dicit: trade eum qui percussit fratrem suum, vt occidamus eum pro anima fratris sui, quem interfecit, & deleamus hæredem, & quærunt extinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non supersit viro meo nomen & reliquiæ super terram. Tandem cùm rex bono eam esse iuberet animo intulit eiectum Absolonem vt reduceret, quod fecit rex Dauid, placatus verbis eius. Vnde D. Chrysostomus: considera quanta tibi concessa fœlicitas, quanta gloria attributa orationibus, fabulari cum Deo, cum Christo miscere colloquium, petere quod velis, quod desideras postulare! petamus igitur Domino iubente, petamus humiliter, & ploremus coram Domino qui fecit nos, vt exaudiat nos, & quod petimus, accipiamus.

2. Reg. 14. c.

Psal. 94.

Petite & accipietis *Ioan. 16.*

Ipsissimus luminum Pater, qui Iacobo teste *cap. 1.* dat omnibus affluenter & non improperat, petere nos iubet Auditores. At dum illius, tam vt sunt paterna monita, considero, quibus incitamur, ecce tibi frater eius: petitis inquit, & non accipitis, eò quod malè petatis vt in concupiscentijs vestris insumatis *Iacob. 4.* Operæ pretium igitur est vt probet vnusquisque nostrûm orationis suæ finem, intentionem & conscientiæ propriæ

priæ statum, ne forte turpem & dolorificam à tam benigno patre repulsam patiatur suâ quidem culpâ & incuriâ, siquidem, ex eo non accipiunt, tot supplices, à Domino vota sua, quòd, petant malè. Super his præsenti sermone. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Æternùm Dei Verbum antequam nostræ mortalitatis vestem indueret, nocte quondam locutum est Regi Salomoni dicens: postula quod vis vt dem tibi *3. Reg. 3.* Quid Salomon? Tu fecisti cum seruo tuo Dauid patre meo misericordiam magnam, sicut ambulauit in conspectu tuo in veritate & Iustitia & recto corde tecum. Custodisti ei misericordiam grandem, & dedisti ei filium sedentem super thronum, sicut est hodie. Et nunc Domine Deus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo. Ego autem sum puer paruulus & ignorans egressum & introitum meum, & seruus tuus in medio est populi, quem elegisti, populi infiniti, qui numerari, & supputari non potest, præ multitudine. Dabis ergo seruo Duo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum & malum, quis enim potest iudicare populum istum, populum tuum hunc multum? Placuit hoc responsum Regis, Domino, & liberalissimè fatus est: quia postulâsti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec diuitias, aut animas inimicorum tuorum, ecce feci tibi secundùm sermones tuos & dedi tibi cor sapiens & intelligens, in tantum, vt nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit, sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam, vt nemo fuerit similis tui, in Regibus cunctis retrò diebus.

3. Reg. 3.

Oratio Salomonis placita coram Deo.

Auditor, quot illos? qui multos dies, quot? qui diuitias, quot? inimicorum Animas & sexcentas id genus Dei iudicio noxia in dies appetunt? nec accipiunt, eò quòd petant malè. Namque longam vitam optare, & futuram illam æternam, non prouidere vanitas, petere diuitias, non quibus cælum, sed gehennam emas, viuens luxuriosè ô prodige, & pascens porcos in

cos in corpore, malè petere esse iudica. vt de iniuria pœnam & de offensa sumas vindictam, qui charitatis es filius, pessima Oratio, sunt sermones & preces sed non Salomonicæ preces. Idem æternùm verbum, iam nostræ carnis trabeam indutum, docens Discipulos orare, subiungit dicendum: fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra *Matt. 6. cap.* Quid tibi videtur? Conditionata est Oratio, oportet vtique dicas, si Deus iudicas ea, quæ peto, in sede maiestatis tuæ esse meæ accommoda saluti. tum mihi da; sin verò, me tuo conformo ex integro voluntati. Ita D. August; *tract. 102. in Ioan.* Non petitur in nomine Saluatoris quidquid petitur contra rationem salutis. Quod vti sæpiùs ita etiamnum Matrum prudentium illustre sit exemplo, quæ quantumlibet flenti & ploranti coram se paruulo, cultrum, carbonem ignitum, & similia petenti, vasa occisionis, minimè quidem assentiuntur, imò etiam virgâ, erroneam castigant manum, vt dediscat, noxia sibi expetere.

In obsidione Bethuliensi adeò populus flexerat Oziam Principem Iuda vt infusus lacrymis diceret: Æquo animo estote fratres & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam, forsitan enim indignationem suam abscindet & dabit gloriam nomini suo. si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium faciemus hæc verba quæ locuti estis idest: trademus Holoferni Ciuitatem, Et ecce vt inaudiuit verbum hoc Vidua sancta Iudith congregatis ad se vniuersis ita locuta est: quod est hoc verbum in quo consentit Ozias vt tradat Ciuitatem Assyrijs, si intra quinq; dies non venerit nobis adiutorium? & qui estis vos qui tentatis Dominum? non est iste sermo, qui misericordiam prouocet, sed potiùs qui iram excitet & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis eius, & in arbitrium iustum, diem constituistis ei? Auditor! præscribere Deo vt exaudiat, non est accipere, sed est malè petere; ideoque petitis & non accipitis, eò quòd malè petatis inquit Apostolus, Hinc multorum Oratio fit in

Iudith reprehendit malè de misericordia Dei sta tuentes.

pecca-

peccatum, qui exaudiri vt non merentur, mox in partem de-
clinant alteram, etiam Domino maledicentes.
Consultissimè *Psalmo 65.* Rex Propheta monuit ? Iniqui-
tatem si aspexi in corde meo non exaudiet Dominus. id quod
D. Ioannes cap. 9. adnotauit dicens : scimus quoniam pecca-
tores Deus non exaudit. Porrò dilatio miserationis, est si-
gnum in te, est signum in corde tuo, latentis alicuius iniqui-
tatis ; si enim in corde tuo aspicis iniquitatem ; foues iram ;
carnis desiderium ; auaritiæ idolum ; cupiditatis & vanitatum
affectus, non exaudit Dominus ! nimirum. in conscientiæ mor-
tiferi peccati, & peccati amati petere, est petere malè. Re-
fert Laërtius *lib. 1. cap. 6.* quód Bias Prienensis cum quibus-
dam impijs hominibus navigans & timore tempestatis oran-
tibus Deos, dixerit : cauete ne Dij vos hàc ire naui audiant.
Laërt lib. Auditor iniquitatem si aspexi in corde meo, nec eandem actu
1. cap. 6. contritionis, aut ipsius confessionis expunxi, frustrà sum orans,
non exaudiet Dominus ; ita vtique necessarium est, vt probet
seipsum Homo, & sic dicat petitiones cordis sui, & accipiat
à Domino.
Admirandam fecerat rem Ioseph nondum à fratribus co-
gnitus cùm diceret eis *Gen. 43. cap.* Nisi Beniamin fratrem
vestrum adduxeritis ad me, non videbitis faciem meam. De
sensu mystico alibi. Nunc Ioseph æternum Deum Patrem
Gen. 43. mihi referre videtur, qui non alio se placari modo sinit vt plu-
rimùm, nisi peccator adducat fratrem suum Christum Domi-
num offerens & petens per illum, id quod ipse hodie incul-
cat dicens : vsque modò non petistis quidquam in nomine
Fons mi- meo, petite in nomine scilicet meo & accipietis. Huc facit
rificus. (quod apud Geographum reperit, qui refert) dari in quadam
M. Micha insula fontem eiusmodi, qui totam illam soleat irrigare & fru-
ël de Vn- ctiferam reddere, eâ tamen conditione exundare solitum esse,
garia Ord siquis ad ipsius fontis rubro in vestimento sese præsentet, &
Prædicat. aquas proijciat, eo enim facto manare largissimè. Fontem
Serm. de
Passione.

vivum

vivum appellat Deum tanquam largitorem bonorum omnium
Regius Vates *Psal. 41.* decens ? sitiuit Anima mea ad Deum
fontem vivum. Et Christus dicit : siquis sitit veniat ad me Ioan. 7.
Pater igitur æternus est fons bonorum omnium vivus. vis
de illo fonte bibere ? vis impetrare ? Christum accipe eius ru- Isa. 63.
brum est vestimentum, stola eius lota in vino, pallium eius
aspersum sanguine vuæ, in nomine eius pete, sic Pater æter- Gen. 49
nus effundet aquas gratiæ, nec eas continebit in suo sinu quin
exaudiat misericorditer, sed respiciet in faciem Christi sui *Ps.*
83. Denique *Luc. 6.* Saluator estote misericordes sicut & pa- Luc. 6.
ter vester cœlestis misericors est. date & dabitur vobis. Et
quâ mensurâ mensi fueritis, eâdem remetietur vobis. Audi-
tor misericordiarum patrem oras, vt det tibi quod oras, da &
tu prior à te petenti mendico, expectas à Deo multum ? mul-
tùm da prius, tu ab illo expectas gratiam, ille à te expectat
mensuram quâ tibi illam diuidat, vt ergo mensura gratiæ Dei
sit conferta, confertim & tu largire. Ita, nisi fallor, D. Au-
gustino teste, Epulo non accepit guttam, qui mendicanti La-
zaro negauerat micam. petamus igitur benè, vt mereamur
accipere plenè. Ad Maiorem DEI Gloriam.

DOMINICA
INFRA ASCENSIONIS.

Ioan. 15. cap. **Mittam vobis à Patre Spiritum veritatis**

PRoficiscentium & peregrè vadentium mos est
dilectos suos promissis mulcere magnificis inde
aut mittendis aut certè asportandis Audit. passim
id in parentibus experiuntur filij, in Sponsis ama-
tæ Sponsæ in amicissimis Amici. Idem hodie

iturus

iturus ad patrem seruator obseruare videtur, cùm ex denuntia-
to abitu suo tristiores Discipulos mirum quantum soletur ma-
gnifico vtique solatij promissò dicens : mittam vobis a Patre
Ioan. 15. Spiritum veritatis. Magnificum istud dixit promissum, quia
Deum, quia magnum & quia Deum veritatis. Sed quod istud
promissum multis non placeat huius veritatis Osoribus, vide-
licet Spiritus veritatis, esto Deus, ostendo. Ad Maiorem Dei
Gloriam.

Ab actu ad potenriam & experientia ad contingens si licet
argumentari, non placeat Veritatis Osoribus promissum Chri-
sti spiritum veritatis probatur, quia pridem non placuit. In-
seruit huc sermo Christi *Matt.* 16. non vos estis qui loquimi-
ni sic spiritus patris mei qui loquitur in nobis. Iam quæres
ex me vnde constat non placere Spritum veritatis ? Respon-
det inde, quia constat non placuisse eos, per quos & in qui-
bus idem Spiritus veritatis loquebatur. Ita D. Lucas *Act.* 7.
ait de S. Stephano : non poterant resistere Sapientiæ & Spiri-
Act. 7. tui qui loquebatur, vnde, eijcientes eum extra Ciuitatem la-
pidabant.

De Herode qui Ioannis Baptistæ Auditor, tandem & parri-
Mar. 6. cida fuit *D. Marcus cap.* 9. asserit quia libenter eum audiebat
& multa propter eum faciebat. Interim misit per eum Deus
Spiritum veritatis Herodi loquentem ore eius : non licet tibi
habere vxorem fratris tui. Quid ille ? misso speculatore am-
putauit caput eius in carcere. En Christi promissus : mittam
Spiritus S. loquitur in prædicatoribus. vobis à capite Spiritum veritatis, mittam eos, in quibus lo-
quetur vobis veritatem Spiritus patris mei. Sed vbi dixerit,
vti in Ioanne dicebat Herodi, non licet tibi dies festos viola-
re, non licet subditos à SS. Missæ sacrificio auertere aut able-
gare, non licet opprimere, fame, siti, cæde vexare, aliena
concupiscere, multò minùs rapere ; quid hinc ? exigua conso-
latio eorum quorum hoc est veritas actibus & vitæ contraria.
1. Reg. 13. Stupendum sanè quod sacer textus de Rege electo Saul &
quòd

quod pòst de eodem commemorat. De primituis regni eius
loquens ait *1. Reg.* 13. filius vnius anni erat Saul cùm regna-
re cœpisset. Ex mente Doctorum Saul erat innocens tanquam V. Didac
puer anniculus. Benè. Tandem postliminio 1. *Reg.* 16. dici- Nissen:
tur de illo : arripiebat Saul spiritus malus. quid hoc mutatio- Dña 5.
nis ? postquam audiuit Spiritum veritatis in Samuele sibi lo- post Pentecost. 5.
quentem : quia ; pro eò quòd abiecisti sermonem Domini, Perioch.
abjecit te Dominus ne sis Rex. postquam secum noluit reuer-
ti Samuel adoraturus Dominum & dixit : non reuertar tecum
quia projecisti sermonem Domini & proiecit te Dominus ne
sis Rex super Israël, postquam audiuit scissum esse à se regnum
Israël, & datum meliori, Ecce spiritus Domini malus exagita- 1. Reg. 16
bat eum. Auditor ! quanti sunt, etiam dico boni, etiam de-
uoti quos, simul ac Spiritus veritatis Diuinæ locutus est, simul
ac vituperauit, coärguit aliquid vitiosum in eis, mox spiritus
malus eos exagitat ? Dux Filiorum Amon Achior ad Holofer-
nem Principem militiæ Assyriorum Regis : si digneris audire,
Domine, dicam veritatem in conspectu tuo, de populo isto
(Bethuliensi) perquire, si est aliqua iniquitas eorum in conspe-
ctu Dei eorum, ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet
eos Deus eorum tibi, si verò non est offensio populi huius co-
ram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam DEUS
eorum defendet illos. *Iudith 6. cap.* Hinc iratus est Holofer- Iudith 6. 7.
nes vehementer minatusq; Achior Duci ait : cùm percusseri-
mus eos omnes, sicut hominem vnum, tunc & ipse cum illis,
Assyriorum gladio interibis *cap.* 7. Audis ? vt iterum Spiri-
tus veritatis non placet ? interim est Christi promissum, &
promissum magnificum, quia teste Apostolo : dum corripimur
à Domino, per istum spiritum veridicum, fit, ne cum hoc mun-
do, qui nec cognouit eum, nec scit eum, damnemur *1. Cor.* 11.
Hinc Regum Sapientissimi est monitum verè aureum : Verita-
tem eme. Sed Heli Prophetam *1. Reg.* 3. in Samuele puero Prou. 23.
spiritum veritatis agnoscentem, & venerantem audiamus. Ex-

probra-

probrauit ei Deus omnem filiorum eius insolentiam, exprobrauit paternam indulgentiam valdè culpabilem, declarauit poenas pro facto, quid Heli ? Dominus est, quod bonum est
1.Reg.c.3 in oculis suis, faciat. Auditor quære cum Diogene, incola dolij, hominem eiusmodi, non inueuies; sed ingeminabis eti-
Ioan. 5. amnum Hominem quæro qui correptus reprehensus à spiritu veritatis dicat : Dominus est, quod bonum est in oculis suis, faciat, Rara Auis! Memorabile profectò est quod fecit & Rex Israël magnificus Dauid cùm à Semei acriter iuxta, ac perindignè malediceretur, ita vt sui indignarentur, necemque inferre parati, ruebant in Domini vltionem, dicens : dimittite eum vt maledicat ; Dominus enim præcepit ei vt maledicat
2.Reg.16. Dauid, & quis est qui audeat dicere ? quare sic fecerit ? *2. Reg. 16. cap.* Vtinam similes promissus nobis Spiritus Sanctus, qui & Veritatis Spiritus est, & loquitur in seruis suis, inueniat auditores, esto ea sit optimi patris nostri mittentis eum intentio, vt dum arguimur, aliquando conuersi ad cor, salutem æternam consequamur. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Ille testimonium perhibebit de me *Ioan. 15.*

EXcellenti quondam ingenio Philosophus Pericles, testimonium ab Amico in re non vera postulatus, cùm Amicitiæ
Periclis dictum Amicus vsq; ad Aras. venerabile nomen obijceret ille, respondisse fertur: Amicus vsque ad Aras. Fortè multi nostrum petent à diuino illo, quem repromittit se missurum à patre Christus, Spiritu veritatis, vitæ actæ, & conscientiarum testimonium, nec immeritò quidem, cùm sit scrutans corda & renes Deus *Psal. 7.* sed timeo ne sua eos fallat opinio, & ne malum aut saltem minus votis suis accomodum responsum referant, nam cùm ipsa sit veritas, etiam pro veritate testetur, necessum est, nec vllo prætextu effici potest, quin in rei veritate testimonium perhibeat de nobis, esto enim Amicus & Consolator, imò & Aduocatus appelletur, tamen hoc ipsum, non nisi ad Aras vsq; vl-
Ioan. 3 traque non, dicente Christo *Ioannis 3.* quod videmus testamur.

Agamus

Agamus igitur vt ab eo bonum habeamus testimonium. quod Ad Maiorem Dei Gloriam.

Testem hodiernum, de quo loquimur, Sapientiæ liber describens *cap. 1.* Spiritus Sanctus disciplinæ, effugiet fictum, & auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu. quasi dicat : non erit testis fictus, nec perhibebit testimonium nisi iuxta ac repererit in domo Animæ. Hinc Ecclesia vocat eum dulcem hospitem, qui scrutans intima eius, quidquid inuenerit, illud loquetur de homine, si luxuriam, si vsuram, si fraudem, si alienorum concupiscentiam, quidquid demum later in eo, cœlestis ille testis, euulgabit. *Rom. 9. cap.* Apostolus: ve- Rom. 9.
ritatem dico in Christo IESV, non mentior, testimonium mihi perhibente conscientiâ meâ in Spiritu Sancto. Ecce testem conscientiæ Spiritum Sanctum producit, qui cùm sit scrutator cordium, optimè testari potest. Auditor qui contra se fore testem oculatum in re perpetrata nouit, à facie illius trepidare, aspectum sustinere non solet. O quantum turbabuntur corda nostra ad spiritus veritatis & conscientiarum testimonia ? *Oseæ 2. cap.* Ecce ego lactabo eam & ducam eam in Oseæ 2.c.
solitudinem & loquar ad cor eius ex mente Spiritus Sancti dicetur; quasi diceret consolator Animæ si timuerit anima peccatoris, ego faciam ei sicut Mater, offeram ei lac Diuini amoris, instillabo ei dulcedinem internæ compunctionis, & sic eam ducam intra, metipsam, vt tantisper vacet factorum suorum considerationi, & enumerabo ei omnia, quæ sunt in amoribus eius, vt ita conuersa, judicium Dei anticipet, & præoccupet faciem eius in confessione, atque ita, habeat me testem pro se & non contra se, Phocio Athemiensis Antipatro : non Psal. 99.
sum tibi simul ladulator & Amicus. Idem testis ille Diuinus nobis protestatur.

Lapidatur D. Stephanus ob veritatem quam Actorum *cap. 7* Plutarch.
dicebat durâ ceruice & incircumcisis cordibus & auribus, vos semper Spiritui Sancto resistitis. Ecce testimonium Ierosolymitarum

nitarum à Spiritui Sancto per os Leuitæ Sanctissimi datum, sed quia iuxta facta eorum, ideò ingratum, ideò mordax, nolunt vtique homines vocari quales verè sunt nolunt dici, quod interiùs occultant, sed optant latere. Verùm Spiritus Sanctus arguit in veritate, nec enim simul est adulator & Amicus.

Auditor vsquoq; graui corde? vt quid Spiritui veritatis sine strepitu verborum intra nos loquenti resistimus? cur eum ob nostra contristatum opera mortua testem futurum non consideramus? si enim vt S. Hieronymus est testis, Spiritus Sanctus est mater nostra, quæ vt supra dictum est, lactat nos dul-
Rom. 8. cissimi nectare Amoris, & vt inquit *Rom. 8.* Apostolus: postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus malo nostro illi resistimus, & cum illo gemere, pro reatu nostro, renuimus, dumq; ille se monstrat esse Matrem, pro nobis tam sollicitam, nolumus nos monstrare, ei re ipsâ, esse filij tam benignæ Matris, ideòque contra nos statuimus. Testem, qui erat futurus Mater, non est simul adulator & Mater.

DOMINICA PENTECOSTES

Ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.

Ioann. 14.

HOdie dilectissimi. cœli distillauerunt à facie Domini Israël, & pluuia voluntaria segregata est hæreditati Christi, post magnificentiam enim resurrgentis; post gloriam Ascendentis non restabat, nisi vt expectatio Iustorum lætitiam adinueniret, & cæli muneribus, cœlestes

homines implerentur. Misit Christus Spiritum Sanctum qui donet lætitiam in corde tuo & de rore cæli, si non continuè tamen sæpissimè mentem tuam impinguet. Ita Mellifluus Doctor *Serm. 2.* de hodierno festo. At si in quorundam corda solummodò teste D. Gregorio venit, nec mansionem facit quomodo lætitiam donabit? & de rore cæli animam impinguabit? Trahendus est Auditores deuoti; & in cor veniens detinendus. Et quidem non vt ouis ramo viridi iuxta D. Augustinum, non vt à magnete ferrum, à succino, palea, sed trahitur Amore. trahitur sedis delectatione, trahitur plenitudine. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Amore dilectionis trahitur.

HOc sanè innuunt sacerrima Christi verba: si quis diligit me sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum & ad eum veniemus, & amansionem apud eum faciemus ego videlicet & Pater & vnum Patri mecum Spiritus Sanctus. Prætereuntem Dominum videns quondam Discipulis, quem ipse diligebat, dixerat: Ecce Agnus Dei *Ioan: 1. cap.* & audierunt Ioan. 1.c.
eum duo Discipuli loquentem, & secuti sunt Iesum, & apud eum manserunt illo die *S. August: tract: 7.* in Ioannem: Quàm beatum diem duxerunt, quàm beätam noctem! quis est qui nobis dicat quæ audierunt illi à Domino? ædificemus nos- S. Aug. tract: 7. in Ioan.
metipsis in corde nostro & faciamus domum quò veniat ille & doceat nos & colloquatur nobis! Doctor Sancte! Deus charitas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo. trahendus est charitate, dilectione trahitur, mansionem enim Deus habere non petest vbi charitas non est, si igitur charitatem habemus inquit Albertus magnus *lib.* de adhærendo Deo *cap. 13.* Deum habemus Deum attrahimus.

Dicebat Pöeta -- trahit sua quemq; voluptas.

Vis scire quid trahat Spiritum Sanctum? quid alliciat ad hominem? voluptuosa charitas, ignitus Amor. Deliciæ meæ inquit esse cum filijs hominum *Prou. 8. cap.* qui seruant man-

data in charitate exhibentes opera velut testes dilectionis in eum. Ars Mathematica docet ope speculorum, solaribus oppositorum radijs, vrere objecta combustibilia. Ita Romanorum naues quondam Marcellus incendisse memoratur. Sancta Mater Ecclesia de Spiritu Sancto canit : Veni Sancte Spiritus & emitte cœlitùs lucis tuæ radium. Opponamus speculum, promamus amorem, quid enim vult ? nisi vt accendatur, cùm sit ignis missus à Christo in corda hominum ? amore trahitur Amor Diuinus, vt sit plus, vbi amat, & accendat, Magnes amorum Amor !

Vitrum vstorum Amor.

Trahitur sedis complacentiâ.

Disertissimè 1. *Cor. 3. & 6. cap.* Apostolus corpora vestra templum sunt Spiritus Sancti. Et templum Dei Sanctum est quod estis vos. Vis Deum ad te venire ? cor tuum eius templum effice, sedis complacentiâ trahitur imò retinetur Ecce venit ad templum sanctum suum Dominator Dominus inquit *cap. 3.* Malachias quem vos quæritis. Hinc *Psalmi 143.* versiculum accipio : Filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi. Tales Animæ Spiritum Diuinum alliciunt quæ similitudinem templi referunt, illius puta, de quo dicebat Christus ; de templo scilicet corporis sui : soluite templum hoc. in malevolam enim animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Vnde *S. Greg. hom. 30.* Tergat ergo sordes praui operis qui Deo præparat domum mentis, vt enim veniat ad templum cordis tui Diuinus hic hospes & inhabitet, nihil in te esse quod illum offendere possit, necessum est. Encomium à Sponsa *Cant. 2. cap.* eximium illi est, dilecti, qui pascitur inter lilia. delicatus sanè hospes Spiritus Sanctus, qui extra lilia templi, quod nos sumus, delicias non nouit. Hinc Mellifluus Bernardus : Tu ergo qui hæc audis, cura habere lilia penes te, si vis habere hunc habitatorem liliorum habitantem in te. *Serm. 7. in Cant.* redoleat Anima tua lilium vt trahat ad se hunc Diuinum mansionarium

Psal. 142.

S. Bernar. serm. 7. in Cant.

arium. Ingressus quondam Ierosolymis templum Christus, *Matt. 21. cap.* eiecit ementes & vendentes oues, boues, columbas, & mensas numulariorum euertit. Spiritus Sanctus est, Vice-Christus ipso teste vbi ait ego rogabo patrem & alium paraclytum, idest, mei vice consolatorem, dabit vobis. Nonne idem facturus est in templo Animæ quod Christus in templo Ierosolymitico ? oues enim vendunt, qui innocentes per sua scandala deprauantes, peccare faciunt & docent. Boues ad aratra, ad opera seruilia, ad molendina die festo missos à te conspicatus, putas non fugiet à te Spiritus Sanctus ? Columbas vendunt qui de venia peccatorum præsumentes vltrà peccando Spiritum Sanctum contristant. Igitur amabo, te, templum Dei sanctum esse memineris, quod & tu es, cùm & anima tua sedes huius Sapientiæ sit, modò iustus sis, tali sede, tali ab Anima trahitur. Castitas (inquit S. Climachus) est iucundum Christi diuersorium, imò Sancti Spiritûs architriclinium !

Trahitur plenitudine.

Gratiâ plenam non aliâ quàm Spiritûs Sancti *Luc. 1.* Deiparam Angelus fuisse antequam in suo fratrem suum vtero corporaret asseuerauit. Interim *Actorum cap. 1.* eandem cum Discipulis fuisse adeoque repletam denuò spiritu eodem commemorat. Nimirùm hoc est quod loquimur. Spiritus Sanctus plenitudine gratiæ trahitur, repletur sanctissima Christi parens cum Discipulis, esto iam antè plena eodem, quia plena plenis & omni habenti dabitur. Vis auditor repleri ? vis in te attrahere Diuinum istum Spiritum ? plenus esto. Atquæres fortè quâ plenitudine ? illâ quâ Deipara, illâ quâ SS. Apostoli, charitatis putâ & dilectionis, pleni erant desiderijs sed cœlestibus ideò repleti sunt. Curemus igitur, vt nostra pariter corda, tali plena feruore inueniat, & repleat nos vbertim dulcis hospes Animæ Spiritus Sanctus, cuius detentio in plenitudine Sanctorum.

B V repletur Spiritu S. quâ Angel⁹ gratiâ plenam dixit.

Eccles. 24.

Manſionem apud eum faciemus. *Ioan.* 14.

Sæpiùs in cogitationem eam incidi imò dubitationem cur D. Gregorius tam audienter dixerit de Spiritu Sancto: in quorundam enim corda venit, ſed manſionem non facit, ne fortè ideò dixerit, quia venit quidem ad eos, qui ſe diligebant, ſed eos domi nec Animas eorum inuenit, imò excordes inuenit, id quod de Ephraim dictum eſt, factus eſt ſicut columba
Oſeæ 7. c. ſeducta non habens cor. Certè plurimum ita fieri huic Diuino ſpiritui & Animarum hoſpiti, facilè deprehendemus; id quod. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Non ſemper Animas noſtras eſſe domi ſuæ id eſt in corpore illud mihi indicare videtur: Anima plus eſt vbi amat quàm vbi animat. Idem perſuadet ipſamet veritas vbi theſaurus
Matth. 6 tuus ibi & cor tuum. Deniquè D. Bernardus dicens: ô quot in viuo corpore mortuas habent animas! Hinc ita procedo? venit Spiritus Sanctus vnum Patri cum Filio, promptus noſtro ingeri pectori, ſed dilectricem Animam Sponſam non inuenit; nam eò diſceſſit, relecto corporis domicilio, ibique plus eſt & agit, vbi amat, vbi illum Amor creaturam, præ ſuo Creatore, occupauit. Attendite amabo! ſiue viſitator Spiritus Sanctus in cor hominis ſuperbi venit, animam in illo minimè inuenit, alas quidem Luciferi & criſtas varias, ſed ipſam non inuenit, nam eſt eius anima in domo ambitionis, in actis habitat, plumatiles quærit pileos, vt ait Drexelius, ambulat in ma-
Pſal. 130. gnis & mirabilibus ſuper ſe, ad fores magnatum obſeruit & obſeruat quà Honor aut vana gloria, quàm ore aperto venatur, ſeſe proripiat.

Idem de Auaro ſi viſitetur, ſine Anima eſt. quam quia venalem habet, in forum extulit, ad Vſurarios ſuos deportauit & pauperes, qui pro centum pendant ei duodecim vſuræ, pro ſex aut ſeptem mutuatis florenis, oppignorent agrorum vſum fructum altero tanto plus fructûs ferentium, currit ad Garamanthas & Indos, vt lucrifaciat Aurum, Non illi, die feſto

Animæ quorumdã in diuerſa euolant loca.

Miſſæ

Miſſæ ſacrificium, vllam facit conſcientiam, non auocat Verbi Diuini refectio animæ dulciſſima, non eſt domi anima illius, tot tracta lucri deſiderijs, in diuerſiſſima prorſus loca. Deniquè vt in vno omnes denotem, ſi in cor Luxurioſi Diuinus hic Amor inuolet, corpus quidem reperit, ſed peccatis ſubditum, in quo non habitabit, anima verò per aliena tecta & lectos volitans, procul domo abeſt, nec intrabit in eam ſi reuertatur, quia conſpurcata eſt illicitis, quà amoribus, quà illecebris.

Amabo negabiſne ideò manſionem non facere in cordibus eorum Spiritum Sanctum quia excordes & animâ vacui ſunt?

Quæſtio eſt vtrum aliquid eſſe pluribus locis vno eodemquè tempore poſſit? Reſpondetur autem, naturali quidem non, ſupernaturali verò vi poſſe. Ita S. Ambroſius & Mediolani ſacris rebus adſtitit, & Turonis piam operam in exequijs D. Martini impendit. S. Antonius Paduanus alibi concionatus è pulpito alibi in choro cecinit: S. Xauerius in naui cum ſociis viſus eſt, & procul inde in ſcapha periclitantibus adfuit. Iam ergo adſit Spiritus Sanctus, hîc dormientem corpore, ibi, hunc & illum, mente operantem varia, comperiet. Quid dicemus de Sagis in patria noſtra tanto vaſtis numero? non Spiritus Sancti certè molimine ſed mali Spiritûs actæ vi, loca variant, & præſentes putantur, vbi non ſunt, cùm ad ſua conuiuia, ſuper obuia quæq; euolant. Elogium ſancti Ieroſolymorum Antiſtitis Simeonis apud Lucam eſt *cap. 2.* Et Spiritus Sanctus erat in eo. Auditor, ergo domi cor & Animam habuit; in quo Spiritus Sanctus fuit? imò reſponſum accepit à Spiritu S. non viſurum ſe mortem, niſi videret Chriſtum Domini. O quàm procul ab eis Diuinus iſte Spiritus, qui à Spiritu Orcino, ſua accipiunt reſponſa, omnem expectationem ſalutis excludentes de cordibus ſuis! *Geneſeos 8. cap.* legitur quòd emiſerit Nòë columbam ex Arca, quæ reuerſa eſt, quia non inuenit vbi requieſceret pes eius. Signari

Philoſophica.

Seuer: in vita eius.

Sagæ pluribus locis eſſe ſimul putantur.

per

per Columbam Spiritum S. ne dubita; quem *Matth. 3.* vidit Ioannes descendere super Dominum, sicut Columbam. venit igitur in quorundam corda Diuinus iste Hospes, sed reuertitur, & mansionem non facit, redit in Arcam cœlestem, quia sæpiusculè non inuenit vbi requiescat. Solent Columbæ iuxta fluenta Aquarum residere vt ibi volatilium Auium vmbram videant & vngues fugiant inquit Strabus in *cap. 7. Cant.* Vide accuratam Spiritûs Sancti descriptionem, columbas æmulatur, requiem non invenit, mansionem non facit, vidit in corde, velut aqueo fluento, vngues rapinarum, vngues luxuriæ & desideriorum prauorum, fugit, euolat. quia oculi eius sicut columbæ, quæ residet super riuos aquarum, iuxta fluenta A. plenissima.

Lepidum sed quidem salutare inuentum & consilium fuit 1. Reg. 19. cap. Michol vxoris, Dauid, cùm eum dimitteret ex fenestra ne occideretur à Saul Rege, Patre Michol; tulit autem Michol statuam & posuit eam super lectum, & pellem pilosam capratum posuit ad caput eius, & operuit eam vestimentis *1. Reg. 19. c.* Igitur cùm venissent apparitores inuentum est simulachrum super lectum. Auditor nolo repetere sagas præfatas ad Orcina euolantes conuiuia, quæ sui loco nescio quæ relinquunt ad latus mariti simulachra & truncos, hoc solùm dico, sæpiùs ab ipso Diuinissimo visitatore nostro, cadauera sola inueniri, animabus interim alibi in varijs sese oblectantibus peccatorum spurcicijs, vnde nec mirum videri debet, si venit, nec mansionem facit, quia Animam subinde etiam Iusti, quæ sedes eius est, domi minimè inuenit. Agamus proinde, amabo, agamus, quàm accuratissimè! & cordis nostri venturum quandoque hospitem expectantes, cor ei mundum, cor contritum, quod Psal. 50. non despiciat, præparemus. colligemus animam, ne euolet per illicita sua desideria, sed tam dulcem vnicè expectet consolatorem, cum D. August. dicens; custodi me, ne te perdam, Amen.

FERI

FERIA II.

PENTECOSTES.

Omnis qui malè agit odit lucem & non venit ad lucem &c. *Ioan. 3.*

SAnctissimus quia secundùm cor Dei Rex & Propheta Dauid ineuitabilem præsentissimi vbique Numinis oculum exprimens *Psalmo 130.* aiebat: Quò ibo à spiritu tuo, aut quo a facie tua fugiam? si ascendero in cælum tu illic es, si descendero in infernum ades. quasi diceret verbis alijs: non est locus, non Symbolum Dei, oculus. latebra, non angulus aut specus vbi tutò consistere possit à facie & vultu Domini malè agens peccator. Hinc Ægyptij vt ait *Macrob. lib. 1. cap. 21.* oculum pingebant innixum virgæ pro symbolo Dei. Phryges exornabant baculum oculo solari; quia Sol teste Homero Deus.

Sol qui cuncta vidit simul omnia percipit aure!

Verùm sanctiùs dixit Regis Prophetæ filius Salomon *Prou. 15 cap.* In omni loco, oculi Domini contemplantur bonos & malos; adeò non est locus, non latebra, non angulus, vbi te malè agentem, non spectet. Quid ergo iuuat non venire te Ioan. 1. c. ad lucem? quando lux vera vbique est & in tenebris, teste Ioanne, lucet? Iniqua persuasio malè agentium, Diuinos oculos ludere tentat, sed non euitat. De hac tam perdita eorum opinione. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Infandum sanè est quod olim in Susannam senes nequam moliri aggressi sunt *Dan. 13. cap.* quos sacer textus fuisse lucis Dan. 13. Osores vel maximos his prodidit verbis: declinauerunt, inquit, oculos suos ne viderent cœlum. & collatis inuicem pessimis votorum consilijs, eam affati sunt: Ecce ostia pomerij clausa sunt

ſunt & nemo nos videt, aſſentire nobis. Ecce qui malè agit à nemine videri ſe exiſtimat. Nemo (inquiunt) nos videt. Sed numquid Deus vos peſſimi ſenes videt? Dixerunt non videbit Dominus *Pſal. 93.* Sed quàm irrito conatu! excitauit enim Deus Spiritum Danielis Iunioris, vt lucis ſuæ Oſores confunderet, & inueteratos malorum diſperderet.

Auditor. puta non alio te pacto ante Diuinos oculos vbiq; conſiſtere atq; auis àëreum permeans Elementum, eſto locum variet, iam ſe ſurſum librando, iam deorſum mittendo, ſemper tamen in eodem manet Elemento, ita & Homo præſentiſſimo ſibi Deo adeſt vbique. Ac velut piſcis, ſemitas Aquarum perambulans, & per mille varios gyrans recurſùs, nihilominus intra æquor illius eſt: ita peccator, quoquo fugiat, Deum non effugiet. Hinc S. Bernardus *lib.* de modo benè viuendi *cap. 29.* Ibi pecca vbi neſcis eſſe Deum, nihil enim celatur ante Deum, videt occulta, qui fecit abſcondita. Pulcherrimè Propheta *Pſal. 93.* Qui finxit oculum non conſiderat? Dominus ſcit cogitationes hominum quoniam vanæ ſunt. fugiunt ne videantur, magis videndi quò fugiunt, quia lux in tenebris lucet *Ioan. 1. cap.* videt præſens Deus!

Fuga facit reum. Iuriſtarum eſt axioma Fuga facit reum. Idem peccatori fugienti lucem, quærenti angulum, vt peccet, volenti latere dum peccat, inclama: Fuga facit reum. quin in conſpectu ſolis huius agis, ſi benè agere intendis? Ita S. Ambroſius *lib. 1.* de Paradyſo *cap. 14.* cum Adamo expoſtulat dicens: quo te duxerunt peccata tua? vt fugias Deum tuum, quem ante quærebas? timor iſte culpam fatetur, latebra prævaricationem Nimirum N. quærit A. id eſt: Nequam quærit Angulum! Caſtiſſimum Iuuenem vxor Putepharis domi ſola aggreditur ſolum *Gen. 39* Oderat lucem impudens lupa, ſed non caſtiſſimus Agnus dicens: quomodo poſſum hoc malum facere? Huc faciet illud S. Auguſt. in *Pſal. 39* Luctantem te cum carne conſiderat Deus, hortatur vt pugnes, & adiuuat vt vincas. Imò quadrat eiuſdem

dem

dem *Epiſt. 3.* ad Fortunatum Deus totus oculus eſt, totus manus, totus pes. totus oculus eſt quia omnia videt.

Non prætermittamus amabo, illius deuoti iuxta ac ſancti Iuuenis factum, qui omnibus Muſæoli ſui parietibus, hoc ſalutare inſcripſerat, Diuinæ præſentiæ monumentum, Deus omnia videt. Hortul. Marian. Deus omnia videt. certè ſi hoc malè agentes ſæpiùs legerent, latebras ſuas damnarent. S. Paphnutium Abbatem refert *Sabell. lib. 5.* Sabell. lib. 5. Thaidem à carnis reuocâſſe naufragio, cùm enim ab ea impetraſſet ſecretum, timere ſe ſimulans, ne ab aliquo videretur, quærebat an aliquis videret? illâ negante, niſi à Deo qui omnia videt & ſcit; ſubiecit? Ecce credis Deum nihil latere & coram eo peccare non erubeſcis? Auditor hoc recogita: ſi Deus omnia videt, ſi in omni loco contemplatur bonos & malos, cur tenebris te credis? cur fugis lucem, quæ in tenebris lucet? Deus totus oculus eſt, quia omnia videt. B. Petrus *Damiani lib. 3. Epiſt. 16.* ad Landulphum recitat. Quidam alienam ſuem clandeſtinè ſurripuit, & caueæ clandeſtinius incluſit, vir tamen ille pietatis operibus intentus eſſe conſueuerat. Interea adeſt diues Ieſus in effigie pauperis & tam prolixo iam crine egebat arte tonſoris. Ille protinus reuerenter aſſurgens, inter cætera humanitatis impendia cœpit ipſum forficibus attondere, ſed dum tornat & ſatagit ecce reperit, duos oculos in occipitio ſub crinibus latitantes. Expauuit Homo, ſtupenſq; contremuit, & quid vellet eſſe quod cerneret pauidus inquiſiuit. Cui mox ille: Ego inquit IESVS vocor, vndiquè cuncta contemplor, & iſti ſunt oculi, quibus etiam ſuem vidi, quem nuper in cauea concluſiſti. moxque diſparuit. Ille Petrus Damian li. 3. ep 16 ad Landulph. protinùs ad cor rediens Diuinam circa ſe clementiam recognouit, & quod iniquè præſumpſerat, ſatisfactione purgauit. Habet Deus oculum omnia videntem, Deus omnia videt. Deus totus oculus eſt, timeamus; lux eſt, & in tenebris lucet, caueamus.

V FERIA

FERIA III PENTECOSTES.

Ego sum ostium per me si quis introiêrit saluabitur.

DVplicem inuenio ianuam siue ostium duplex. alteram qui-
Matt. 25 dem *Matt. 25. cap.* in parabola Christi, de Virgininum pru-
dentûm & fatuarum vigilantia, de qua subditur: & clausa est
Act. 12. ianua. alteram *Actor* 12. portam ferream, ad quam, cum duce-
retur ab Angelo Petrus liberatus de carcere, vltrò aperta
est. Non est Christus simile ostium ianuæ illi, quæ clausa est,
sed alteri quæ vltrò aperta est eis, ipse enim est ianua, quæ ab
ingredientibus pulsatur & ab egredientibus adoratur. Non
Esther. est simile ostium illi apud Asuerum Regem cuius adita, non
4 cap. vocatus si quis ingressus fuerit, statim sine cunctatione interfi-
ciatur, imò verò patens est omnibus ingredi volentibus, quid
enim? venite inquit *Matt.* 11. ad me omnes qui laboratis &
onerati estis & ego reficiam vos. quia per me si quis introiê-
rit saluabitur. Auditor, properemus introire, vt saluemur.
Ad Maiorem Dei Gloriam.

S. Augustinus in præfatione super *Psal. 99.* quid sit intrare
per ostium siue per Christum docens ait: intrare per Christum
nihil aliud est quàm intrare vias Christi. illas puto, quas ipse,
exemplum dans nobis, vt quemadmodum fecit ipse & nos fa-
ciamus, triuit; & suis exornauit sanctissimis vitæ operibus, &
virtutibus. Pulchrè id ipsum D. Ambrosius *Serm. 74.* de Nat.
Mart. expressit: Notas fecisti nobis vias vitæ qui nobis semi-
tam manifestasti ad vitam, cùm docuisti nos fidem, misericor-
diam, iustitiam, castitatem, his enim itineribus, peruenitur ad
Ambros. salutem. Auditor intrare vis ad vitam? en ostia Christi aper-
Serm 74 de Natali ta, en viæ quibus peruenitur ad salutem. Saluabitur Iustus.
Martyr. saluabitur fidelis, saluabitur misericors, saluabitur castus, siqui-
dem

dem his itineribus peruenitur ad salutem. Nicolaus Radzi- In peregr.
wił terræ sanctæ quondam lustrator celeberrimus, refert esse Radziwił.
in Ierusalem portam vnam occlusam quam nemo ingreditur
& affirmat se audiuisse ex Turcis incolis esse de illa porta Ora-
culum, fore, vt qui ingressus fuerit per eam sit Rex vniuersi Or-
bis. Vt vt est. parum est. melius quid hodie in sacro textu
Euangelij reperies, ostium videlicet tale, per quod, si quis intro-
iêrit, saluabitur. Multis permittitur vt portas Regum & Prin-
cipum introëant, vt palatia eorum mirentur, sed quid proderit
illud? nisi illud prosit saluabitur siquis introiêrit, nihil omni-
nò, Iaponas nonnullos referunt portas suorum oppidorum Spinis clau-
congestis spinis & vestitus loco portarum solitos per noctem duntur Por-
occludere Ne timueris Auditor deuote, & nostrum quidem tæ.
ostium spinis septum est, cùm enim Christus sit vita & ostium
ad vitam, spinarum omninò neminem terrere debent vepreta,
quia angusta est via quæ ducit ad vitam vbi dicit *Matt. 7.* sed
ipsa vita, ipse Dux viæ, non aliundè ingressus est, ipsum securi
pariter, qui iam cum illo viuunt dicente Ecclesia: Omnes San-
cti quanta passi sunt vt securi peruenirent ad palmam! pretio-
sa res est desiderium illius vitæ, ideoque opus tibi est spinis,
opus vepribus & patientiâ, vt & inimicos vitæ illius compun-
gas, ne illam tibi eripiant, & ipse pungaris, quia per multas Seneca.
tribulationes oportet eam intrare. Nec est ad astra mollis
è terris via! *Danielis 14. cap.* legimus de sacrificulis Bel quo- Dan. 14. 6.
modo per occulta ostiola ingrediebantur & consumebant quæ
erant super mensam, mentientes Bel esse Deum viuum qui tan-
ta deuoraret. Auditor quanti sunt qui sub nomine Christi qui
verum ostium est ad salutem, abscondita sibi fabricant ostiola!
sed vani sunt, non prodet illos meliùs quidquam atque cinis,
in quem nisi resipiscant, æternùm, redigendi sed nunquam con-
sumendi, seruantur. Ego sum ostium inquit veritas per me
siquis introiêrit saluabitur, meâ viâ siquis iuerit, perueniet ad
salutem, intrare enim per Christum est intrare vias Christi vt ait

 D. Aug.

D. Aug. in præfatione in *Psal. 99.* quomodo ergo vias Christi intrant qui doctrinæ illius aduersantur ? Nouerat hoc Saluator, nouerat via salutis, ostium vitæ æternæ. Christus, propterea
Matt. 7. c. *Matt. 7.* dicebat : intrate per angustam portam, quia lata est porta & spaciosa via est, quæ ducit ad perditionem & multi sunt qui intrant per eam. Quam angusta porta ! & arcta via est ! quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam. Præsumam Domine dicere, multi sunt qui inueniunt eam sed quia angusta est, intrare nolunt in eam, hinc abscondita ostiola, hinc viæ contrariæ, quibus, subintroierunt fures, & Pseudo-Euangelistæ suadentes, hanc latam & spaciosam magis esse secutam, adeoq; eligendam ijs, qui portam inquirunt vitæ æternæ & salutis.

De Brutis verum agant propter finem, disputantium solen-
Canis Chrysippi. ne est Canem Chrysippi adducere in exemplum, qui feram insecutus, vt ad Triuium peruenit, & duas vias olfactu explorauit, nec illa fugientem feram deprehendit, mox tertiam sine examine arripit, quasi diceret, hac non fugit, neque ista, ergo illa fugit. Quæstioni huic fit satis ex doctrina D. Thomæ secunda 2. quæst. 13. Art. 2. in naturalem hoc inclinationem, siue industriam & instinctum referentis. Vtinam satius Cane isto discurrereat nostrates aduersarij, & quod perperam faciunt, bene inuestigarent vias Domini, currerentq; per eas velut Ducem secuti vitæ æternæ, non tot ab ostio beatitudinis aberrarent. Interim nos ad inuitans Ostium, & Episcopum Animarum nostrarum Christum, curramus !

DOMINICA
SS. TRINITATIS.

Ecce

Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsq; ad consumationem *Matth. 18. cap.*

SOlatus aliquando Patriarcham Abrahamum Deus dicebat ei *Genes. 15. cap.* Noli timere Abraham, Gen. 15. c. ego protector tuus. Hebræa verò lectio habet, ego sum clypeus tuus. An idem solatij datur hodie fidelibus cum quibus se fore affirmat vsq; ad vltimum vitæ spiritum saluator ? Imò verò quod nuper liberalissimè promittere dignatus est diligentibus se & seruantibus mandata sua *Ioann. 14. cap.* cùm diceret : si quis diligit me, Ioan. 14. mandata mea seruabit, & Pater meus diliget eum & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus, hoc ipsum re ipsa confirmat dicens : Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem sæculi. O fœlices Animæ cum qui- Matt. 18. bus totæ tres Personæ Diuinæ, vnum enim sunt, vsque ad consumationem esse dignantur ! ô protectio & clypeus omni securitate maiores ! quis vltra timeat ? quis vel tantillum expauescat ? protector noster Deus trinus & vnus ! Agamus proinde seduli SS. Trinitatis cultores vt nobiscum sit :

In Patre totus Filius,
Et totus in verbo Pater
Cum Spiritu Paraclyto.

Agamus inquam vt, sit nobiscum omnibus diebus vitæ nostræ vsque ad consumationem, faciatque nobiscum misericordiam suam quod, Ad Maiorem Dei Gloriam.

PLinius *lib. 21. cap. 21.* refert serpentes nunquam in Trifolio conspici, id quod antipathiam mutuam indicat. Auditor, nil æquè callidus ille & antiquus Draco, & serpens Dæmon, atque Trifolium, SS. Trinitatis Nomen, vnquam exhorruit ; proinde, fœlix Anima, cui in extremis, cum inimico luctanti, & protector & clypeus, hoc Trifolium, Pater, & Filius, Apoc. 12. & Spiritus Sanctus, cum enim descendit in arenam, cum ira magna,

V3

magna, sciens quòd modicum tempus habet. Benedicamus
Plinius lib. 21. c. 21. igitur Patrem & Filium & Spiritum Sanctum vt sit nobiscum
omnibus diebus & in hora mortis, sit nobis Trifolium in quo
nunquam fertur conspici spiritus pestilens & serpens. Deuo-
ta est quam adfero quæstio de pueris in caminum ignis à Na-
buchodonosore Rege immissis, qui dicuntur in medio flammæ
deambulâsse ita vt ne capillum quidem attingeret *Dan. 13.*
quæ eorum incolumitatis & nullius eorum læsionis causa ? D.
Basilius *Orat. 1.* de Ieiunio, causam refert in eorum ieiunium,
comparando illos Amianto lapidi, qui in ignem coniectus vim
Auri superat. Talia erant tria illorum puerorum corpora, in-
quit ille, adiumento Ieiunij. Mihi alia ex ipso textu subesse
videtur ratio. Ecce ego (dicebat Rex) video quatuor viros
solutos & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in
Dan. c. 13. eis & species quarti simili, Filio Dei. Tres illi in fornacem
missi sunt, velut Trifolium SS. Trinitatis, numero personas, ore
verò nomen & Numen exprimentes & confitentes : Benedica-
mus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, ideò protecti sunt,
S. Zeno Serm. 4. fuitque cum illis in flamma dicente sancto Zenone *Serm. 4.* Sa-
cra Sacramento Trinitatis, tam potentis Elementi subacta na-
tura est. Benè cecinerit S. Mater Ecclesia : Trium puerorum
cantemus hymnum quem cantabant sancti in camino ignis be-
nedicentes Dominum.

Eusebius ex prato spirituali Sophronij *cap: 119.* refert Dæ-
monem cuidam Religioso in specie Monachi apparuisse quem
ille iussit orare, & dixit Dæmon : sicut erat in principio & nunc
& semper & in sæcula sæculorum, iussus iterum orauit eadem,
Dæmon fugit ad SS. Trinitatis nominationem. tandem, ora, inquit Religiosus, Gloria Patri, & Filio, & Spiritui
Sancto, hoc dicto fugit Dæmon. Gloriemur igitur Sacrosan-
ctæ Triados pij cultores, quia protector noster Deus trinus &
vnus, benedicamus Patrem & Filium cum Sancto Spiritu, con-
fugiamus sub hoc Trifolium, inquo serpentes fertur non con-
spici, proferamus cum Thamar *Gen. 38.* pretia nostræ condi-
tionis

tionis nam vt dicit D. Zeno : Thamar protulit monile, annu-
lum, virgam, seque liberauit Sacramenti numero ab imminen-
ti supplicio, Ecclesia ipsâ veritate in nomine Patris & Filij &
Spirîus Sancti non tantùm Diaboli præsentes ignes extinguit,
sed etiam futuri diei judicij, incendia superabit.

Hinc animaduertant omnes fideles quàm conuenienter San-
cta Mater Ecclesia Catholica in extremis suos filios solari con-
sueuerit dum eos sacra communione refectos, oleo inungit
oratqué pro eis dicens : Ne memineris Domine iniquitatum Rituale Eccles.
eius antiquarum quas suscitauit furor siue feruor mali deside-
rij, licet enim peccauerit, tamen Patrem & Filium & Spiritum
Sanctum non negauit sed credidit, recommendat filios ei quem
trinum & vnum confessi sunt in vita, benè dicentes Patrem &
Filium cum Sancto Spiritu vt sit eis benè in extremis, cum qui-
bus est Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, vsq; ad consu-
mationem. Quod nobis concedat pariter trinus & vnus, Am.

DOMINICA. POST PENTECOSTEN.

Vxorem duxi & ideò non possum venire *Luc. 14.*

INurbanus excusator, tam impolitis verbis vsus
est, vt diceret : vxorem duxi & ideò non pos-
sum venire si Concubinarius esset aptius ex-
cusaret ideò non possum venire, per similes e-
nim venire ad Cænam multis non licet. At
hæc est eorum propria excusatio à Cœnæ Do-
mini vsu & accessu, quibus nulla est cura & ea
sunt digni, idq; eorum pessima & inveterata in quædam pecca-
ta rela-

ntá relabendi conſuetudo dicam an natura ? cauſat. Ita quippe ſunt colligati funibus habitualis in vitia propenſionis, ac ſi cum illis per modum vinculi Matrimonij indiſſolubilis, connecterentur. Hinc ſuam prodentes inclinationem excuſant dicentes : non poſſum ad hoc venire. Ad Maiorem Dei Gloriam.

D. Paulus cordatus vtiquè prædicator arcet à menſa Cœnæ huius magnæ in qua Chriſtus ſumitur, omnes illos, quos 1. Cor. 11. arguit conſcientia peccati & indignitatis aut maculæ dicens : ſumitur, probet autem ſe ipſum Homo & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, qui enim manducat & bibit indignè reus erit Corporis & ſanguinis Domini *1. Cor. 11.* quod in veritate fit, quando lætifero aliquis obnoxius Cœnam Dominicam manducat. Aureus Orator Chryſoſtomus multis hîc obuiat maximè verò excuſantibus ſe, & indignos qui accedant, ſeſe dicentibus quærens : Et quando dignus eris ? S. Cyrilli item diſcurſus eſt : quando igitur quicunque tu es, qui iſta dicis dignus eris ? quando Chriſto teipſum offeres ? nam ſi peccando indignus, es & peccare non deſines, expers omninò eris huius viuificæ ſanctificationis *lib. 4. in Ioan. 17. cap.* ſi ergo dicis ideò te indignum quia peccator es, ſci, non eſſe indignum hâc menſa peccatorem fuiſſe, aut peccaſſe, ſed nolle ceſſare à multiplicandis peccatis, id quod ſonat hodierna excuſatio, vxorem duxi & ideò non poſſum venire ; quaſi dicas, amo peccatum, cui non aliter ſum illigatus, quàm vir vxori, eſto enim illud hodie omittam & confeſſione expiem, ipſique menſæ Dominicæ accumbam, tamen mox ad idem, quod amo & vror, redibo peccatum. ſine illo eſſe, ſine illo viuere, vt ſine vxore mihi eſt. Conſolidabit argumentum meum id quod *Iob. 31. cap.* dixit : ſi putauit Aurum robur meum. LXX. legunt : ſi poſui Aurum in coniugium meum. quaſi dicas, cum Auro non contraxi matrimonium, non eſt mihi, nec ego illi, alligatum vinculo Peccatum eſt vxor. tam potenti. Iam dicat excuſator ; vxorem duxi, luxuriam,

auaritiam vel ſimile aliquod peccatum duxi in vxorem ideò non poſſum illud deſerere & Cœnam Dominicam, quæ, tale peccatum, cui ego ſum alligatus, vt vir vxori, maximè odit, & non patitur, manducare. Optimè dixit Stephanus Durandus Rational: Diui: Off: *lib. 6. cap. 106.* luxurioſi non excuſant ſe, quia non habent cor. ſed quis abſtulit illud ? ſcis quæ ſint quæ auferunt cor ? ergo quia vxorem duxerunt, quia poſuerunt in coniugium luxuriam & peccata, non ſe excuſant, ſed ſimplici verbo dicunt, non poſſum venire, ideò ; quia non ſinit me hoc & illud peccatum. Phryx ille Fabulator ingenioſè comminiſcitur Iouem omnes beſtias terræ & volucres cœli ad grande Eſop: vocaſſe Epulum. cum comminatione de abſentia, Veloci pennâ, Aquilam, turba magna, quam vix dinumerare poſſis comitata eſt. Leonis veſtigia Regia, parili inſecuta greſſu terræ animantia, ſtiterunt. Interea dum ex nomine omnium recenſita eſſent capita, dèeſſe Cochleæ genus, limaces, Teſtudinem & ſexcenta domi portarum nomina deprehenſa ſunt. Citatur Teſtudo, & cauſam, abſentiæ, tanta cum præuaricatione, dum rogatur, reſpondet : *'οικὸς γλὺκὶ* O domus cara ô dulcis domus. Quo accepto Deorum ſummus, æternâ circumferendæ domùs pœnâ, damnauit inobedientem. Rex Regum & Dominus Cænam hodie magnam fecit & vocauit multos, imò horâ Cœnæ miſit ſeruum ſuum dicere inuitatis vt venirent, & ecce tibi quis defuit ? Teſtudo, vxorius, incontinens, vxorem duxi & ideò non poſſum venire. Dulcior mihi mea domus, voluptas carior, vſura melior quàm Eccleſia, malo abſtinere à communione quàm illius gratiâ dimittere concubinam. Auditor ! ſi verè ita eſt, & vxorem duxiſti, intricans te alicui peccato, quod omninò deſerere non vis, nec ita te eo infectum doles, vt in ipſum relabi nolis, noli vadere, quid ita ? quia admitti tali ſtante propoſito non potes, nec debes, ſi verò abdicare coniugium, quod cum peccato iniuiſti vis, ſi cum DEO bono illud pòſthac vitare ſatagis, pias cogitationes ſuſcipe, ſtu-

dioſè ſanctéque viue & benedictionem participabis. Regius ille Major-Domûs Aman jactabat quondam : Regina Eſther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege præter me,

Ether. c. 5. apud quem etiam cras cum Rege pranſurus ſum *Eſther* 5. *cap.* fuit ergo hilaris & alacer quo vocatus eſt. At ecce ego video Aman pendulum in furca quid hoc ? iuit ad conuiuium ignarus quod ſibi pararetur malum, ab animo conceptum in Mardochæum, Reginæ auunculum, peſſimam machinationem. Heu quanti audentes dicere : ego illi ignoui, ipſe viderit hic & nunc pono odium, at recordabor, nec enim poſſum illi pacificè loqui. Auditor ! peſſima vxor iſta, quam duxiſti, odium; quod tibi in conjugium poſuiſti, dicit tibi omninò non accedendum, ego ſuadeo, illâ dimiſsâ, & ſoluto, quod cum tali rancore iniuiſti coniugio, accedendum cum charitate non ficta. Elephan-

Elephas in conſpectu Agni miteſcit. tem viſo Agno cicurari & miteſcere ajunt. tu Agnum qui tollit peccata conſpice oculis animæ, & eius amore, rupto vinculo odij, tibi conglutinati, quos odiſti, dilige, & ſecurus acceſiſti ! niſi, quod ipſe nôſti etiamnum recordatus, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te vadas & reconcilieris ei, vt veniens offeras munus compunctionis tuæ Domino, quem ſuſcepturus es. Apud Henricum Engelgraue quædam deſertori ſuo annulo inſculptum mittit Lamazabathani. id eſt dereliquiſti me. Auditor multos nouimus, imò plurimos, qui iam jam ſua peccata defleturi, iam in charitate deſcripta Confeſſario ſuo narraturi, neſcio à quibus peccatis, velut Amaſijs inclamati, hâc vel ſimili voce : Lamazabathani dereliquiſti me ? heu quàm infeliciter & miſerè, retroceſſerunt ! nimirum duxerunt peccata in vxorem, conſuetudo tranſiuit in naturam, occlamant miſeri, non poſſum venire. ſed ! Dirumpamus vincu-

Matth. cap. 19. la eorum & projiciamus à nobis jugum ipſorum *Pſal.* 2. vxorem ſimilem licet dimittere, quacunque ex cauſa, imò expedit ſalutis causâ.

DOMINICA III.
POST PENTECOSTEN.

Hic peccatores recipit. *Luc.* 15.

ADeamus cum fiducia (loquor cum Apoſtolo *Hebr.* 4.) ad thronum gratiæ vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilio oportuno ; Christus peccatores recipit. Derelinquat impius viam ſuam & vir iniquus cogitationes ſuas & reuertatur ad Dominum & miſerebitur eius, & ad Deum noſtrum quoniam multus eſt ad ignoſcendum *Iſai.* 55. nolo mortem morientis dicit Dominus reuertimini & viuite *Ezech.* 18. Ecce Chriſtus peccatores recipit. Sed quo recipiendi modo acceſſuri ſunt ad thronum gratiæ ? docebo Ad Maiorem Dei Gloriam.

PRimipilus legis veteris ſcriptor *Gen.* 41. de innocente Io- Gen. 41. c.
ſeph ait : protinùs ad Regis Imperium eductum è carcere totonderunt ac veſte mutatâ obtulerunt ei. Auditor non priùs in conſpectum Regis venire iuſſus eſt, quàm eductus ex carcere tonderetur, nec Chriſtus eductæ Animæ de tenebris & vmbra mortis priùs dirigit pedes in viam pacis, niſi poſtquam agnitâ ſuâ iniquitate ex præueniente ipſius gratia aſſumat cogitationes pias & Sanctas, ambulare ſpiritu intendat, & ad vlteriorem gratiam promerendam, aſpiret. Tondendus eſt peccator & à ſuperfluis quæ amauit retrahendus ; alienandus animus ab illicitis, dimittenda coma quæ creuit ex iniquitatum abundantia. Pater peccaui in cœlum & coram te dicebat
Luc. 15. *cap.* prodigus ille. Verùm quando dixit hoc ? in ſe re- Luc. 15
uerſus inquit Euangeliſta. Hunc & tu æmulare, reuertere in te, ſiliquis dic vale & porcis, tonde longæ conſuetudinis

comam, nudo capite an mente dicam? patrem adi; Ecce peccatores recipit. Auidior est Deus reconciliationis, quàm sunt ipsi peccatores. S. Chrysostomus *hom. 44. in Genes.* Et in *Psal. 50. hom. 2.* peccasti? pœnitere, millies peccasti, millies pœnitere; ipse enim propitiatur omnibus iniquitatibus nostris & sanat omnes infirmitates nostras.

Deinde Ioseph postquam attonsus est, veste mutatâ oblatus Regi narratur. Quid mutatio vestis nisi mutatio vitæ? proferte stolam primam inclamat Pater prodigi ministros, proferte citò, ne appareat nuditas eius. vnde nudus? an tulerunt pallium eius in regione longinqua custodes murorum vti di-
Cant. 5 cebat in Canticis sponsa? dum malè viuimus, laceramus vestem innocentiæ, & maculamus peccatis, quam immutare, id est à peccatis ad virtutem transire debet, qui in Regis conspe-
Deut. c. 21 ctum venire ad thronum gratiæ accedere præsumit. *Deut. 21.* Captiua mulier antequam assumeretur in vxorem tali lege tenebatur. radet cæsariem & circumcidet vngues & deponet vestem in qua capta est & sedens in domo flebit patrem & matrem. Vt Sponsus Animarum Christus captiuam ducat Animam in Sponsam redeuntem ad se, cæsariem radat, superflua vitiorum & vanitatum abijciat, vngues symbolum rapacitatis abscindat, iuxta monitum Apostoli qui furabatur iam non furetur, qui rapiebat aliena donet sua. vestem deponat, quam sibi ex vitijs, velut lana & filo contexuit. fleat patrem & matrem, quorum præuaricationem æmulatus, legem Domini peccator transgressus.

Huc D. Theodoram aduoco quæ vbi de adulterij cogitauit peccato, cæpit de inferni pœnis atrocique gehenna cogitare, sed quia cæpit, hæc cæpit & immutare vitam, & fugere vitia, seipsam denique fugiens, erubescebat, quæ erubescenda cogitauerat. Amat Christus Theodoras, Animas, quæ vt ista, fecerint.

Biderm. *Erubuit fecisse scelus, puduitq; videri,*
Et serus toto vixit in ore rubor.

Abdi-

Abdita terrarum petijt loca, ibiq; perennes
Ex oculis nulli cognita, fudit Aquas!

In Reuelationibus S. Brigittæ *lib. 7. cap. 19.* aliquando in spiritu locutus est ei Christus; Dilectio mea erga hominem modò æquè grandis atque incomprehensibilis est, sicut erat tempore passionis meæ, quando per mortem meam, ex nimia charitate, liberaui omnes Electos. Et si fieri posset, vt toties moreretur, quot sunt animæ in inferno, ego promptissimâ voluntate, & perfectissimâ charitate, corpus meum traderem, eandemque passionem & mortem, pro qualibet anima sustinerem, quam sustinui pro omnibus: Adeamus igitur cum fiducia ad thronum gratiæ eius vt misericordiam consequamur, quia multus est ad ignoscendum. (Misericordia Christi.)

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Laxabo rete. *Luc. 5. cap.*

PORtentum Auditor! quæ erant relicturi Apostoli retia, jubentur laxare in capturam, & copiosam piscium multitudinem concludunt, vt mox facturi piscatores hominum, quantos essent capturi & insagenam Ecclesiæ coäcturi, intelligant. Datur præterea & nobis hoc facto animaduertere, Rete, quo Anima rationalis velut piscis comprehenditur, longè diuersum esse ab eo, quo piscium multitudo hodie concluditur. Sed quod nam illud? nonne Verbum Dei & ignitum Eloquium eius? Ità omninò; vti ex vtriusq; adinuicem collatione, patebit. Ad Maiorem Dei Glotiam. (Psal. 118)

Rete

Rete piscarium funiculi meri.

QVid Verbum Dei habet simile ? multum certè. Protestatur apud Prophetam suum Dominus de populo suo dicens : in funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. Oseæ 11. Nouerunt vincula Eloquiorum eius qui de magno mari huius sæculi velut pisces extracti sunt ; nouit ad vnius vocem iussionis velox Leui, nouit pelagus vitiorum Maria, nouerunt alij ! Huc facit ingeniosus Alciati cogitatus, Herculem Gallicum in Emblema proponentis, à cuius ore tot Viri pendent & in funiculis dicuntur captiui, subiectis versiculis :

- - quamuis durissima corda
Eloquio pollens, ad sua vota trahit.

Quàm durum Cor spirantis minas & cædem erat Sauli ! verùm liquauit illud Eloquium Saluatoris quia ignitum vehementer. Psal. 140. Et quanti in dies, etiam inueteratissimi malorum, in retinaculo eius, cadunt peccatores ? nimirùm vt rete piscarium funiculi meri, Verbum Dei vincula sunt charitatis.

Rete piscarium nexus & nodi.

Quis exprimat, quàm strictis illiget nexibus, cum Verbo Dei illapsus piorum cordibus Deus ! quo ibimus ? verba vitæ æternæ habes. dicebat quondam Petrus. Ioann. 6. Dicat ipse Saluator de turbis in deserta sequentibus : ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent. Marc. 8. funiculus quidem triplex difficilè, sed nexus Amoris per Verbum Dei cor illigans, difficillimè rumpitur.

Laërtius lib. 6. de Vit: Philos: refert Diogenem Antisthenis eloquio captiuatum, cùm abigeretur dixisse : cede, non enim tam durum baculum reperies, qui me abs te, quàm diu aliquid dixeris arcere poterit. Auditor, pauci dantur æuo nostro qui sicant, si Diuinus sermo abbreuietur, sin verò producatur, eo ipso arcentur. Vnica non plures. Legitur S. Scholastica, vt diutiùs à fratre S. Benedicto audire Dei Verbum liceret, subitam

impetrâsse pluuiam nostro certè Auditores, sæpiùs imber etiam medioximus, ne templum, audiendi Dei Verbum gratiâ adeant, deterrere consueuit.

Rete piscarium, meræ fenestræ !

Declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat paruulis inquit Rex Propheta quasi dicat: vt aquas multas Psal: 118. quas Orcinus Draco immittit ad attrahendas & submergendas Animas effugere possis, rete Verbi diuini ingredere, meras fenestras & lucem habet internam, ostendens quid vitare, quid tenere, aut effugere debeas, eodem Rege teste : in corde meo abscondi eloquia tua vt non peccem tibi. Sicut enim per Rete, omnis aqua effluit eò quod sit fenestratum, ita per Cor hominis Verbo Dei firmatum etiam noxiæ, sine nocumento prætereunt & præterfluunt cogitationes, quia rimas, vt alias intrant, ita per alias exeunt, adeò vt dicere possis : cor Verbo Dei armatum, & stabilitum gratiâ Exitûs Aquarum. Dicat S. Antonius, cuius aliquando cor aquæ multæ intrauerant vsque ad animam eius, imò vsque ad querimoniam postliminio Christum alloquentis : & vbi eras ô bone Iesu ? cui Dominus : in corde tuo eram ne rueres, siue quod loquimur, ne tua in me ab Aquis nimijs tentationum extingueretur charitas !

Rete ferreis annulis ad imum deprimitur.

Idem in corde Piorum facit Dei Verbum, puta humiliationem, per ostensionem quæ malè egimus, vnde quandóque in ipsas etiam soluimur lacrymas, quia veniam petere delictorum, fidelis conscientiæ monitor Dei Verbum hortatur peccatores. Viuus est enim, vt ait Apostolus, sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens vsq; ad diuisionem Animæ & Spiritûs, id est ad imum cordis & fundum renum. Hebr: 4. c. Hinc relictâ hydria vocat Samaritana concives vt videant, num verè non iste Messias sit, qui sibi cuncta, quæ erant in corde ipsius dixerat : Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia quæcunque feci. Ioan: 4.

Rete

Rete segmenta lignea alleuiant.

Jgnem veni mittere in terram & quid volo nisi vt accenda-
Luc: 12. tur? ait de Verbo & eloquio suo ignito Saluator. Cum igni
sermo Dei similem gerit naturam, nam cor quod accendit, sur-
sum tendere, nec tarda pati facit molimina Dicat exurgens
Maria & in montana festinans Angelico incensa affatu, di-
cant Emauntem petentes Discipuli quorum cor ardens erat ex
consortio sermonis Domini. Edisserat nobis Magdalena, D.
Augustinus, Eustachius, Catharina Senensis, Theressia & mille
varij, variè hoc, Verbi diuini, experti incendium!

Rete in imo fixos pisces euertit!

Veritas Euangelica iuxta præceptum Dei scelera populi palàm
annunciat, vt ij qui sunt immersi similibus, resipiscant. Cla-
Isa: 58. ma ne cesses, annuncia populo meo scelera eorum. Et me-
ritò, Rete enim quod humi non serpit, hærentes in tuto pisces
haud includit, maximè eos, qui rete effugere nôrunt. Idem
facit adulatorius & palpans sermo, quem deflens Propheta
Thren: ait: prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta nec aperiebant ini-
cap. 3. quitatem tuam vt te ad pœnitentiam prouocarent. Latent
subinde quidam in limo profundi, quos Rete Verbi languidè
prædicati, non tangit; ideoque nec captiuat.

Rete ex omni genere piscium congregat.

Simile est regnum Cælorum sagenæ missæ in mare & ex omni
Matt: 13. genere piscium congreganti. Auditor, nunc quidem Rete
Euangelicum omnibus tenditur, Dei verbum omnibus ad con-
uersionem prædicatur, sed viderint qui fugiunt. Ergo erra-
Sap: 5. uimus à via veritatis & Justitiæ lumen non luxit nobis? talia
dixerunt in inferno (inquit Spiritus S.) qui peccauerunt. Quid
cogitas? idemnè dicturi sunt ij, quibus sagena Verbi Dei ten-
ditur, venia propinatur? Cadite per Deum immortalem in re-
Psal 140 tinaculo eius peccatores, cadite increduli! ne, postea quàm Re-
te eius, in vallem Iosaphat, eductum fuerit, rete hoc magnum,
& sa-

& sagena ex omni, non iam piscium, sed hominum genere, con-
gregans, bonis in vos illud æternæ gloriæ, electis & missis, vos
foras, vbi erit fletus, & stridor dentium, mittamini! A. M.D. G.

Erant in captura piscium. *Luc.* 5.

Obstupuit quondam Tobias iunior lauans in sinu maris, cùm Tob. 6.
ab Angelo iuberetur apprehendere cæte grandia: Sed longè ma-
ior inuasit omnes stupor hodie peccatores, postquam, nocte
totâ laborantes nihil cæpissent, & tandem iussu Regis Ange-
lorum Christi, tantam conclusissent piscium multitudinem, vt
rumperetur rete. Triplicem capturam deduco. Electorum:
de qua Christus Petro: post hàc iam eris homines capiens. Pro-
ximorum cùm Animæ eorum lucrifiunt, Magni piscis Christi
quem lucrifacimus, dum capimur, aut capimus. Ad Maiorem
Dei Gloriam.

Erant in captura piscium. *Luc.* 5.

S. Ambrosius *lib. 4. in Luc.* pisces vocat homines, qui vitæ præ- S. Ambr:
sentis enatant mare & vndas, fatus: pisces enim sunt qui hanc lib. 4. in
enauigant vitam. Auditor, cùm Petro dicitur à Domino post- Luc.
hac iam eris homines capiens, puto dici in hunc modum: mu-
tabo artem tuam piscatoriam quâ pisces Aquarum captiuas,
in aliam artem, quâ per Euangelicam prædicationem, Ani-
mas Electorum in vitam æternam promoueas. Magna digna-
tio, ex piscatore piscium, fieri Animarum piscatorem! sed non
solus Petrus, non soli Apostoli reliqui & Euangelicæ verita-
tis prædicatores, in captura ista sunt Animarum, sed rudes eti-
am Idiotæ puta boni & deuoti Christiani & Catholici, qui fa-
cto suo & exemplo docent bona quæ possunt, & quos possunt,
etiam ij qui collegas suos & consodales auertunt à malo, sua-
dentes bonum, auocant à vitijs, pulcram præponendo virtu-
tem, talibus ausim Christi verbum dicere: vos hominum pi-
scatores & Animarum, accepturi estis mercedem vestram, in
consumatione sæculi. Ità me D. Augustinus *tract: 51. in
Ioan.*

Animarũ piſcatores etiam homines ſimplices ſunt.

Ioan. Nolite tantummodò bonos Epiſcopos & Clericos cogitare, etiam vos pro modulo veſtro, miniſtrate Chriſto, benè viuendo, eléemoſynam faciendo, nomen doctrinamque eius, quibus poteſtis, ſiue potueritis prædicando, vt vnuſquiſq; etiam paterfamilias, hoc nomine agnoſcat Paternum affectum ſuæ familiæ ſe debere, pro Chriſto, & pro vita æterna ſuos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat beneuolentiam, exerceat diſciplinam. Ita in domo ſua Eccleſiaſticum & quodam modo Epiſcopale implebit officium, miniſtrando Chriſto, vt in æternum ſit cum ipſo. Hæc D. Auguſt. At amabo te Auditor, nonne excipiemus quoſdam Neo-Doctores, domi

Lutherani mali peccatores.

poſtillas Lutheranorum toti familiæ & ſubditis, ab Eccleſia adeunda auerſis prædicantes? certè tales Roboämi dicentes: nolite vltra vadere, ad Conciones Catholicorum veſtrorum Sacerdotum, idem hîc audietis, nec frigebitis ad fornacem calentiſſimam; non ſunt piſcatores, ſed Animarum perditores, execrandi! S Auguſtini mater D. Monica dum videret filium ſuum velut piſcem fætido innantem ſtagno hæreſeos, tantùm laboris & lacrymarum impendit, quantum capiendo ſufficeret, tandem reuocando ad frugem & ſanam mentem, cœpit piſcem illum erroneum, Eccleſiæ Sanctæ lumen futurum. Heus parentes! in capturam ſimilium piſciculorum, quos vobis commiſit Deus, & ſanguis liberos, imò & ſeruos & ancillas, de cœno peccatorum ereptum abite, illosquè monitis, ſed maximè veſtro bono exemplo, de paludibus vitiorum extrahite.

Laudabiles illi qui audita in Verbi Diuini prædicatione coram ſuis narrare ſolent.

Laude dignos certè quilibet dixerit eos Parentes, qui à Verbi Diuini auditione de templo reduces, recenſere ea, quæ pro ſuggeſtu dixit Eccleſiaſtes, ſoliti & ad faciendum iuxta eadem, ſuos ſeriò monentes, id quod facere etiam ſimpliciores quoſdam ex deuotione ſæpiùs accepimus. Iſti certè timent perambulantibus ſemitas maris, ne eos captiuet adulterinus quiſpiam piſcator, in ſuas æternùm naſſas, concluſurus, & deuoraturus. Digni præmio!

Alteram capturam breui hâc deſcriptione *Matt. 13.* proponit Saluator. Simile eſt regnum cælorum ſagenæ miſſæ in mare & ex omni genere piſcium congreganti, quam cùm impleta eſſet educentes & ſecùs littus ſedentes, elegerunt bonos in vaſa, malos autem foras miſerunt. Sic erit in conſumatione ſæculi. Exibunt Angeli & ſeperabunt malos de medio Iuſtorum & mittent eos in caminum ignis. Auditor iſta erit extrema captura. Interim tamen in dies fit etiam aliter, nam Angeli Cuſtodes noſtri correptores, vt *Exod. 23.* dicitur: Obſerua enim & audi vocem eius, laborant circa nos & noſtram ſalutem iuxta illud *Pſal. 90.* in manibus portabunt te ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Quòd enim Diuam Catharinam Senenſem per gradus portârint legimus: quòd verò per varias vitæ huius varietates nos cuſtodiant, & ſaluti noſtræ inſudent, omninò tenemus. Nec cunctantur, quin etiam in manibus tollant te, inquit S. Bernard.

Cõſumatio ſæculi capturæ piſcium ſimilis.

Pſal. 90.

Denique fit captura dum Chriſtum lucrifacimus aut potius velut piſcem optatiſſimum capimus. Diſertè D. Chryſologus piſcis aſſus eſt Chriſtus paſſus. Sed quo reti aut naſsâ capiendus? *1. Cor. 10.* Apoſtolus ſuadet aſſociatione capiendum dicens: ſicut ſocij paſſionis ſic eritis; & conſolationis. Huius capturæ Magiſtros habemus D. Franciſcum Seraphicum. S. Catharinam de Senis. D. Brigittam, & plurimos, aſſi ſiue paſſi huius piſcis, Chriſti Domini, deuotiſſimos contemplatores.

1. Cor. 10.

Jnterim tu Domine, qui dominaris poteſtati maris, qui proſpicis per retia miſerationum tuarum, fac vt cadamus in retiaculo tuo captiui peccatores, & extrahamur de aquis multis, ne vltrà intrent vſque ad animas noſtras, ne infixi in limo profundi, abſorbeamur.

Pſal. 68.

DOMINICA V. A PENTECOSTE.

Vade priùs reconciliare fratri tuo. *Matth. 5.*

EXijt edictum à Cæſare Auguſtiſſimo IESV Auditor deuote, vt omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus iudicio, qui verò dixerit eidem Fatue, reus gehennæ ignis habeatur. Tremendum decretum, edictum terribile, abyſſus multa! quis noſtrum promittat ſibi regnum cælorum (quærit D. Auguſtinus) ſi is qui fratri ſuo dixit fatue reus eſt gehennæ ignis? Adſtipulatur Magiſtro Diſcipulus quem diligebat fatus: qui odit fratrem ſuum homicida eſt 1. *Ioan.* 2. *cap.* Auditor quot homicidas numerabimus ſi proximorum oſores duxerimus in digitos? Interea tamen ſtat Chriſti inuiolabilis ſententia, adeò vt nullum ſibi acceptum fiat noſtrum obſequium, oratio nulla, nullum ſacrificium, ſtante irâ vel odio, niſi, quod pijſſimè Clementiſſimus Dominus ſuadet, vadat oſor prius, vt reconcilietur proximo ſuo, id quod vrgebo deteſtabilem oſtenſurus huiuſmodi contra proximos rancorem. Ad Maiorem Dei Gloriam.

1. Ioan. cap. 2.

SI licet dicere de Matre Sancta Eccleſia ſuo modo adulari videtur Sponſo ſuo Chriſto dum in tremendi Miſſæ Sacrificij oblatione dicit: De tuis donis ac datis tibi offerimus; ſed audi Mater, vide, ne, qui tuo fungitur officio, ſit, contra quem habet frater eius aliquid, certè dilectus tuus Sponſus, etiam de ſuis donis ac datis non ſuſcipiet de tali manu ſacrificium, niſi ille vadat reconciliari proximo ſuo. Quæris vnde? dicam? peccatori autem dixit Deus quare tu enarras Iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu aduerſus fratrem

trem tuum loquebaris, & aduerſus filium Matris tuæ ponebas ſcandalum *Pſal. 49.* quaſi dicat: eſto munus hoc ſit de meis donis ac datis: non tamen priùs offerendum, quàm vadat offerens reconciliari fratri ſuo & filio Sponſæ meæ Eccleſiæ, quo facto, ſecurus offeres munus tuum. *Pſal. 28.* Regis Prophetæ monitum eſt: afferte Domino Filij Dei, afferte Domino filios arietum. quid per manus filiorum Dei portari vis ô Domine victimas tuas? Reſpondet S. Baſilius Magnus *hom. 5. in Pſ: 28.* quoniam non cuiuſuis donum eſt Domino Deo acceptum, ſed eius tantùm qui corde puro offert illud; ideò dicit, vt offerant illud filij Dei. & ideò Pſalmus priùs nos vult eſſe filios Dei, deinde accedere ad offerenda Dei dona. Sed quid nos magis filios Dei facit atque charitas non ficta? dilectio proximi? amor inimicorum? & eorum qui oderunt nos? Ita *Matt. 5.* cœleſtis Magiſter: Ego dico vobis diligite inimicos veſtros, & benefacite ijs quid oderunt vos, vt ſitis filij Patris veſtri, qui eſt in cœlis. Auditor vt gratum ſit ſacrificium, Oratio, munuſuè tuum, priùs fieri ſtude Dei filius per reconciliationem fratri tuo. Manumiſſurus quondam ſuos Diſcipulos Chriſtus *Matt. 10.* dicebat: Ecce mitto vos ſicut oues inter lupos, eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes. Admiranda IESV doctrina, inter lupos rapaces, mittit ouiculas cicures, & ſerpentinam eiſdem ſuadet prudentiam. Sed forte ideò, quia ſerpens cùm venerit ad bibendam Aquam, priuſquàm bibat, extra fontem euomit venenum ſuum & poſtea bibit. Ita & nos (infert S. Ambroſius ſer 2. poſt Dominicam 1. Quad.) cum altare accedimus (aut cùm orando, in Deum mentem eleuamus) deponamus venenum peſſimum, iracundiam & odium. reconciliemur priùs, vt acceptum munus Domino offeramus. Auditor ego hoc loci monendos cenſeo, ſacram acceſſuros menſam, ne forte euomitum venenum ante ſumptionem, illâ peractâ, ſicut facere ſerpentes compertum eſt, reſorbeant, ſunt namque plerique rancorum fautores, qui dicere amant: Ego ignoui

Pſal. 49.

Pſal. 28.

Amor inimicorum Dei filios facit.

Matt. 5.

Serpens bibiturus, venenum vomit, ſed pòſt idem reſorbet.

ignoui ei, vado ad sacram communionem, Deus illi parcat, interim paulò pòst redeunt ad vomitum, iterant eandem litem & iurgia, venenum resorbent, ad tempus euomitum. In Canticis Salomonis de se dicebat Sponsus *cap.* 5. comedi fauum
Cant. 5. cum melle meo, & bibi vinum cum lacte meo. Quo sensu accipienda hæc verba Sponsi non discepamus. Interim de SS. altaris Sacramento accipi posse ea, multi dicunt; vbi fauus mellis, vb lac paruulorum nutriens in vitam æternam, & vinum germinas Virgines, datur Isaias certè eundem Sponsum describens *cap.* 1. aiebat : butirum & mel comedet. Sed esto mel comesse Sponsus fateatur se, nunquam tamen apes, illius parentes, inter absolutiones admissæ, imò nec adoleri per-
Leuit. c. 2. missum mel in sacrificijs Domini *Leuitic*: 2. *cap.* nec, quidquam fermenti & mellis adolebitur. Vis causam facti? hæc est de qua loquimur, nemo cum aculeo, nemo cum ira, & odio accedat, mensa Domini odit apiculas, vtique vulnera spirantes.
Vespæ similis furor irati. Vidisti aliquando Vespam, festum animalculum, petræ sese fortissimè allidentem cum impetu! illic suus aculeus, illic iræ emoritur impulsus. at idem de te Iracunde cogita, dum fratri irasceris, te ipsum odisti imò enecuisti!

Qui irascetur. *Matt.* 5.

Terribilem Diui Chrysostomi sententiam tom. 3. hom. de decem mill. talent. pronuntiatam iracundis dedicatum imus Auditor deuote. In ira neruosiore (inquit ille) industriâ opus est, violentus enim affectus est & Tyrannicus, & subinde abri-
Remedium iræ. pit, non satis vigilantes, & ad barathrum ipsum perditionis affert. Proinde suadetur talibus industria & vigilantia ne peccent dum irascuntur. De quo. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Fœlix aliquando fuit Thecuitis illa pro Absone apud Da-
2. Reg. 1. uid Regem interpellans 2. *Reg.* 15. *cap.* quem vt flecteret dicebat: Omnes morimur & quasi Aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur. Hinc Apostolus monebat *Ephes.* 4. *cap.* Sol non occidat super iracundiam vestram. q. d. nolite vltra fouere iram

re iram

re iram cùm videtis occidere Solem, ne fortè in ira & odio proximi moriamini, æternùm arsuri cum iracundo Dæmone. Nolo huc ex speculo Exemplorum accersere illam, quæ iam iam communicanda sacro viatico clamauit: sicut auertere faciem ab inimicis solita fui, ita auertit se a me IESVS, qui me cum iracundo Dæmone. damnabit, Ah vocem tremendam. In vita S. Ioannis Abbatis cùm diceret Abbas: nunquam vidit me Sol comedentem: frater respondit nec me irascentem. Terribile Exemplū de iræ.

Qui irascitur Christum respiciat.

Iram breuem furorem dixit Poëta: vt porrò tantocyùs transeat, Saluatoris crucifixi imaginem, aut mente solâ, aut etiam oculis intuere. Franciscus Sales ex Naturalibus Elephantem refert Agno conspecto mansuescere; & omnem ponere iram. Ioan. 1.
Tu IESVM respice, agnum qui tollit peccatum mundi, Agnum *Isaiæ* 53. *cap.* dicentem: Ego quasi Agnus mansuetus qui portatur ad victimam, qui coram tondente se obmutescit & non aperit os suum. Nihil enim est inquit D. Gregorius quod non æquo animo toleretur, si passio Christi ad memoriam reuocetur. Igitur respice in faciem Christi tui. Isa. 53. Psal. 83.

Qui irascitur sanctos Dei imitetur.

Patronam Silesiæ D. Heduigem nunquam fuisse visam irasci legimus, imò eâ contentam obiurgatione semper, Deus tibi parcat Heus Auditor! quàm sancti forent Clientes Silesitæ, si Patronæ suæ hærerent vestigijs, nec tot Orco in ira aduocarent Dæmonas, ita enim comparati sunt, vt, si pro voto eorum, tot, relicto inferno, adessent vocati, nullus illic esset reliquus De Sacramentorum verò numeris supersedeo dicere, hoc solùm credo, plures ignorantes Ecclesiæ Sacramentorum numerum, per innumera blasphemantes, ad ipsum barathrum, irâ suâ abripi, vtinam non æternùm illic olim detinendos! & atsuros! S. Pastor dicebat: Ne irascaris vlli, donec oculum dextrum tibi extrahat, & si aliter feceris, sine causa irasceris. S. Heduigis in ob. iurgatione verba. Silesij nō imitantur suam Patronam S. Heduigē in obiurgatione.

Qui

Qui irascitur non festinet.

Athenodorus monebat Augustum Cæsarem (vt ait Suet) ne vllum prius afficeret pœnâ, aut objurgaret etiam, nisi dictis 24. literis & Alphabetho Cræco. Certè sicubi valet illud, Horat. festina lente ; tum vel potissimùm tempore iræ, quæ Pòëta teste, frangitur morâ, Sed nihil æquè huc facere censuerim, atque meminisse Creàtoris, de quo Propheta : dum iratus fueris, Abac. 3. c. misericordiæ recordaberis *Abacuc 3. cap.* Nimirùm in dies Isaiæ 38. à nobis offensus misericordiarum Pater, proijcit post tergum suum omnia peccata nostra. Quapropter non vincamur à malo vt monet *Rom. 12.* Apostolus, sed vincamus in bono malum, irascamur & non peccemus *Psal.* 14. diligentes inimicos Drexel. in Zodiac. prædest. nostros & benefacientes ijs qui oderunt nos *Matt. 5.* Vinciat hastas iracundiæ nostræ oleagina charitatis corona, velut fascia, vt, teste IESV socio, vel hoc vnicum nostræ prædestinationis signum, & filiorum Dei futurorum habeamus, dilectionem Pius 2. de Gest. Alphon. inimicorum. Dicamus illud Imperatorium parcentes : Ego inimicos occido, quia ex inimicis amicos reddo.

DOMINICA VI. A PENTECOSTE.

Ecce iam triduo sustinent me nec habent quod manducent. *Marc. 8. cap.*

QVamobrem cœlicus iste Doctor, ad tertium diem, alimentum vitæ suis impertiendum Auditoribus distulit ? an quia cibi condimentum est fames & jeiunium ? aut gratior venit sportula & diu expectatum sigma ? Dicet quod res est Ambrosius *lib. 6. in Lucam* : nemo

cibum accipit Christi nisi fuerit antè sanatus: quod multus hîc populus multâ erat infirmitate oppressus adeòque sanandus priùs quam reficiendus. Misit igitur Verbum suum & sanauit eos *Psal: 106.* Auditor habet Christi Verbum medicamen, quo curatus, mensam illius accedere possis, id quod Ad Maiorem Dei Gloriam.

Fundatrix illa ædium apud Sapientissimum Regum Isràël Sapientia, postquàm ædificauit sibi domum, excidit Colu- Prou: 9. c. mnas septem, misit ancillas suas vt vocarent ad arcem, qui paruulus vt veniat *Prou:* 9. cap: Dictu mirabile dictum : qui paruulus est veniat. an Maioribus non est isthic locus ? non est superbis, non, quos deponit de sede *Luc: 2.* non diuitibus quos dimittit manes, non curiosis & scrutatoribus Maiestatis, quos opprimit gloria, solis paruulis, solis insontibus fatur Christus *Matt: 25.* nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis arcem in qua occidit æternus Pater vitulum saginatum *Luc:* Luc: 15. 15. propter eos qui conuersi ad cor: *Psal:* 84. efficiuntur filij anni vnius 1. *Reg·* 13. vt olim Saul: quiue posito diuitiarum vt Venerabilis Bæda *lib: 5. 77. cap: in Luc: c. 19.* ait, & auaritiæ gibbo, iustificantur vt Zachæus. Sed vnde iustificari datur ? ex Verbo vitæ.

Quam infirma quondam illa fuit de qua Christus septem dæmonia, siue vniuersa vitia eiecerat, verbo insinuat Luc: 7. *Euangelista fatus* : erat in Ciuitate peccatrix *Luc: 7. cap:* quot enim vitijs, tot scatebat vlceribus & carcinomatibus : sed misit Verbum suum, audiuit contra hæc, quibus plena erat, disserentem Magistrum cœlestem, & ecce sanata est. cæpit lacrymis rigare pedes eius, cæpit semper, nec destitit vsque in diem illum, quo soluta corpore, iam per pænitentiam emundato, cum Christo cæpit epulari. Qui Christi mensam aditurit, medicinam non spernat, vt sanetur.

Ad Capharnaum sedenti Publicano Christus *Matt: 9.* **sequere me.**

Interquitur vocantem & facit conuiuium magnum Leui in domo ſua. Præpoſtera cæleſtis Medici actio. Hodie Verbo ſuo ſanatis menſam inſtruit panariam, apud Leui magno ſinit ſe conuiuio honorari! Non erres Auditor, & Chriſtus ad epulas haſce plurimùm contulit; Ibat enim, teſte D. Hieronymo *lib: 1 comm: in Matt*, Dominus ad conuiuia peccatorum, non vt delicatos cibos ſumeret, ſed vt ſpirituales, inuitatoribus ſuis cibos præberet. Mirabile Dei Verbum & reficit & ſanat; neque enim in ſolo pane viuit homo ſed & in omni verbo quod procedit de ore Dei *Matt*: 4. non tamen niſi cum Iuſtificatis, an dicam cum ſanandis plerumque Dominus. Ex antiquo Senenſium Chronico Anno 1240. In Luſitania Bernardus D. Dominici Religioſus, duos paruulos quorum curam in condiſcendis litteris acceperat, SS. Miſſæ ſacrificio, inſeruire occupato ſibi, faciebat. Angelos vidiſſes Domino & pani Angelorum adgeniculari, tam modeſta erat paruulorum ſeruitus quam ipſiſſima eſt Modeſtia! A ſacro, cui indies ita intereant, licebat eis ad proximi ſacelli conclaue commeare, ibique ad conueſcendum, ea, quæ ſua cuique genitrix iecit in corbiculum deportare. Dum porrò id faciunt, ecce tibi de Ara ſacelli, cui Imago Virginis Deiparæ Filium geſtantis inerat, deſcendit paruulus ſeſeque ſociat edentibus, at ſine ſymbolo. Referunt illi Magiſtro factum, ac quaſi etiam queruntur, ſemper ad ſe puſionem de Ara & ſinu Virginis deſcendere, qui nihil contribuit. Terretur ad narrata paruulorum Bernardus, ac tum collectis animis: agite filioli, ſiquidem vltra ad vos paruulus ille deſcenderit, ei hæc dicite: iam notus es nobis Domine hoſpes, etiam ergo nos vna cum Magiſtro noſtro vel ſemel in vita. Poſtera die, dum iterum ex more reſident, adeſt Dominus; cui ex Magiſtri iuſſu modeſtè: Eia Domine etiam noſcum Magiſtro noſtro ſemel, qui nobiſcum toties prandiſti, invita. Reddam, inquit cœleſtis puer vicem, in die enim Aſcenſionis Domini, apud me cum Magiſtro veſtro eritis.

S. Hieronymus l. 1 Comm: in Matth.

V. Pia Hilaria.

Pueri pueri puerum IEſum tractant, & tractandi ab illo in Cælis, euocantur

eritis. Læti referunt beatum nuncium! & Magiſtro narrant, qui dicta die, ſumma animi deuotione, circumſtantibus paruulis dicto in Miſſa ite, vna cum illis dimiſſus in pace menſæ cœleſtis particeps, obdormiuit. Qui paruulus eſt veniat, qui non eſt, efficiatur vt intret Arcem, ſapientiæ & panem edat Angelorum, Verbo Dei ſanctur, namque miſit Verbum ſuum & ſanauit eos *Pſalm*: 106.

Si dimiſero eos ieiunos deficient in via *Mar: 8. cap.*

Eliæ ſub iunipero dormienti *3. Reg: 19.* panem ſubcinericium, miniſtrans Cœlicola: ſurge, inquit, & comede, longa enim tibi adhuc reſtat via. Idem fecit Iacob mittens filios in Ægyptum, monens viæ neceſſaria accipere. Longa via ad vitam æternam eſt, vita noſtra præſens ſuper terram, at adhuc reſtat vſq; ad montem Dei, quo non peruenitur, niſi animâ ſolutâ corpore. 3. Reg: 19.

Quid huic viæ neceſſarium? panis ſed ille, quem viaticum dicere ſolemus & vltimum Animæ abeuntis epulum in ſacra communione, ſine quo, vti nemini eſt hæc via ineunda, ita initur ſaluberrimè cum eo; alias enim qui ſic ieiunam dimiſerit Animam, deficiet in via vix ac ne vix quidem neceſſum eſt. Cùm verò plerique omnes ex meæ commiſſis curæ tam negligentes eſſe ament in tam ſiniſtræ, pleno aleæ, negotio, idcircò de hoc Ad Maiorem Dei Gloriam.

Multorum ad rem noſtram illuſtrandam facit obſeruatio, quòd Chriſtus Dominus ſub ipſam proximè futuram paſſionem & mortem SS. inſtituerit Altaris Sacramentum, cùm etiam diceret: deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum *Luc*: 22. antequem patiar. Exiſtimo Auditor deuote, eo Luc: 22.
fine Dominum feciſſe & exemplo, vt & nos deſiderio deſideraremus manducare panem vitæ, antequàm Animæ & corporis patiamur reſolutionem, imò ne deficeremus in tam periculoſa, vt eſt in domum æternitatis, via. *Exodi* 12. ad Agni eſum manu ducens per ſeruum ſuum Moyſen filios Iſraël Dominus, deſcriptis circumſtantijs, puta: quia accincti renes, baculos

 manibus

manibus tenentes, & festinanter comedere debeant, subiungit:
Exod: 12. est enim Phase id est transitus Domini! Valetudinarie! mors
tua quæ imminet seriùs aut citius subeunda, est phase & transi-
tus formidandus, via in montem Dei, abitus in domum æterni-
tatis, quam speras, quam ædificas de operibus tuis; quid ergo
cunctaris? esum Agni non curas? vide ne defeceris!

Jsaäcum decrepitum vocâsse legimus Esau qui sibi afferret
de venatione sua, vt, inquit, benedicat tibi Anima mea ante-
quam moriar vt comedam *Gen: 27.* Non incongruè meâ qui-
dem opinione Cibum de venatione Christi, possumus Euchari-
stiam per modum viatici sumendam intelligere, ille enim huius
viuifici author Sacramenti ex venatione passionis hanc præ-
dam attulit iuxta illud *Gen: 40.* ad prædam fili mi ascendisti.
Dicat ergo viator, ne deficiat in via: affer mihi, tu Animarum
Pastor, mysta! Christi corpus, vt comedam, & sumam ante-
quàm moriar! Quid? ea ea est genuina ratio ob quam Sancti
Dei morituri & in viam ituri æternitatis adeò SS. Eucharisti-
SanctiDei sine viatico abire ex hoc mundo timent. am expetiuerint. Beatus Stanislaus Kostka Societ: Jesu desi-
derio desiderans hoc Pascha nostrum, qui Christus est, mandu-
care, ad D. Barbaræ opem confugit, & miraculo per manus An-
gelicas cibatus est. S. Ebrulphus cùm in peste Monasterij sui
frater quidam sine sacra communione obijsset, acerbè rem il-
lam, de salute illius sollicitus tulit, adeò vt in Deum ad preces
Laurent: Surius ad 29. Decembris. conuersus, non priùs orare destiterit, quàm vitam ei restitui, cò
vsque impetraret, quoad Sacrâ Eucharistiâ refectus, securior
iam æternitatis dubium iter iniret. Nimirùm si dimiseris ani-
mam tuam ieiunam deficiet in via tam sinistræ plena aleæ! Si-
mile de S. Aichardo 900. Monachorum Abbate, quorum 450.
mortem, se vidente impetrauit.

Ex Molano. Finxerunt veteres fabulosum illum apud inferos Cerberum
oblatâ offâ, vsque dum ad Elysium permées, sedesque beatas,
remorandum. at si sacra miscere liceat profanis, vt vt est, Mors
omnium terribilium, ex mente Philosophi, terribilissimum, po-
tissimùm

tissimùm tamen augetur illius terror, ex Canis Orcini, pro ani-
mæ egressu, desudantis præsentia, tum enim Leo iste *1. Petr: 5.*
rugit altissimè, tum maximè circuit quærens quomodo deuoret,
cui resistere in fide Catholica, optimè edocemur, si iejunam
Animam non dimittamus, sed eam, SS. muniamus viatico,
ne deficere possit in via Æternitatis! Fugitiuo Dauid 2. *Reg:*
21. à facie Saul, Abimelech panem sanctificatum dedisse legi-
mus. Vita nostra fuga est citatissima. sed tamen mortem, per
Saul figuratam, nusquam effugiet: ne igitur deficiat etiam, pa-
nem sanctum à Sacerdote petat & capiat viator. Dices etiam
contriti cum bono proposito non redeundi ad peccata, sed si
superuixerint ad confitenda omnia & sumendum Sanctissimum
parati, cum satisfactione & cæteris requisitis, habent spem vi-
tæ æternæ. Ita quidem Auditor. sed medio Tutissimus ibis.
Quapropter Deum ora dum vales, illúmque assiduè placa, ne
Animam tuam dimittat iejunam, morte subitaneâ liberet, tan-
dem pane sancto refectam in manus suas recipere dignetur, &
dicere possis (id optabat Carolus Rex Siciliæ) Salue cœlum.

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN.

Attendite à falsis prophetis *Matth: 7.*

THrenorum Scriptor, populi sui filiam alloquens *cap: 2.*
sefflet: Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta, nec
aperiebant iniquitatem tuam vt te ad pænitentiam
prouocarent. Lubens fallar Auditor deuote si nō plu-
res Prophetis Achab Regis, similes dantur qui falsa, qui stulta,
insipien-

insipientibus corde, ad placitum eorum prophetant *3. Reg: 22.* vt enim ex vno omnes socios cognoscas, nam: Noscitur ex socio qui non cognoscitur ex se. Vitæ longiturnæ spem, prophætam famosissimum vide, qui esto vnus sit, omnium tamen corda suis occupare solet somnijs, nec quidquam gratius humanis datur auribus, quam si dicatur viues, De hac falsa & stulta opinione, quæ nobis longam prophætat vitam, dicturo, adsit ille, qui locutus est per os Sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarum eius. Ad Maiorem Dei Gloriam.

QVam appositè pridem stultam hominum & inanem spem vitæ longeuæ perstrinxit Kempensis *cap: 1. lib: 1.* Vanitas, inquit, est, longam vitam optare, & de bona vita, parùm curare. vanitas est præsentem vitam solum attendere, & quæ futura sunt non præuidere. inde enim futura non prospicimus, quia longo nos victuros æuo speramus. Cuius opinioni vel conuenientissimè cum Ezechiele *cap: 13.* adscripsero: quasi vulpes Cant: 2. in deserto Prophetæ Israël, vulpeculæ istæ demoliuntur Animæ vineam & spes inanes longiturnæ vitæ, curam illius adimunt insensatis. Est de vulpis natura apud Plutarchum, quod ex aquarum murmure soleat glaciei duritiem & crassitiem explo-Adagium commune rare, eòque grossiorem credit, quò magis silet, vnda profunda. Silentissima glacies vita nostra est, nec ideò credenda longissima, si enim ei linguam confinxeris, his te tam serijs allo-Iob: 14. Iacob: 14. quetur: quid me fore longæuam æstimas, quæ velut Vmbra fugio & vapor sum, Iobo & Iacobo testibus, ad modicum pa-Didac: Stella de vanit: mūdi. rens? iter sum ad mortem vt ait Stella *cap: 65. part: 1.* igitur attendamus à tam falso Propheta qui nobis stulta prophetare audet, & fallit.

Senec: *Nemo tam Diuos habuit propinquos*
Crastinum vt posset sibi polliceri!

Esto è fabulosa sed vel hactenus veridica pronuntiatum diphtera! Audio equidem replicantes vt plurimos, totus sanguis in me calentissimus est, optima constitutio interiorum vel ipsis

ipsis Medicis testibus, qui venarum pulsus explorantes & arteriarum, iurant me victurum quàm diutissimè Sed, mi bone, quisquis es, quid amabo loqueris? ijdem Medicinæ peritissimi cum Phisiologis etiam iurant Humores corporis humani in horas variare. Et:

Contra vim mortis non crescit germen in hortis.
Est commune mori, nulli mors parcit honori.

Mihi certè, hi tales, spebus vanæ opinionis aliti, videntur simillimi pueris, cuculi vocem audientibus, & tot sibi annos vitæ, quoties suum cu, cu præcinit ad numeros promittentibus. Nec defuêre similes. Cæsarius *lib. 5.* miracul. *cap: 17.* & ex Stegel: illo Oui Paschalis author Societ: Jesu referunt, Religiosum iuuenem, qui auis voci viginti duos annos occinenti credidit, & viginti quidem in mundo, duos verò pòst in Religione victurum se constituit; at Deus, cuius est disponere, ordine præpostero, duobus annis exactis, tulit è medio miserum. Benè mónuerit Martialis: sera nimis vita est crastina, viue hodie. ne Eccl: 6. scit enim vt ait *Ecclesf: 6. cap:* Homo finem suum. Diues ille *Luc: 12. cap:* cui multa seges, & fructus vberrimi adeò creuerant, vt de ampliandis horreis, etiam noctem altam ducens insomnem, sollicitaretur, hæc a Domino audiuit: Stulte hâc nocte repetent à te animam tuam & quæ congregâsti cuius erunt? premamus illud, hac nocte repetent à te, tam sollicito de præsenti vita, tam prouido circa sustentationem & alimoniam corporalem, animam tuam; de qua minimè curas, quo vadet, aut vbi manebit. Hinc quo se magis in hac prophetia firment homines, solet falsus propheta iste, exempla compilare eorum, quibus ita aliquando successit. in fine vitæ spondet certam pœnitentiam acturos, ne breuitatis humanæ vitæ memores, contristet. Contra hanc stultissimam vanitatem & inanes opiniones nobis placentes, D. Chrysostomus vt semper Aurëe! sed multis inquis dedit Deus priuilegium vt in vltima senecta conuerterentur, quid igitur? numquid & tibi dabitur? fortàsse dabit, inquis;

inquis; cur dicis fortâſſe? contigit aliquoties. cogita quod de Anima deliberas, proinde etiam de contrario cogita & dic: quid autem ſi non det? quid autem ſi det inquis, dat quidem ipſe, verum tamen hoc illo certius & vtilius. *hom: 21. in 2. Cor: 10.* Addamus & nos; multi ſunt præoccupati, imò præuenti morte ſubitâ, plurimi, quot enim apoplexiâ tanguntur. quot fulmine iciuntur? quot cadunt in delirium? quot repentè deliquium paſſi animorum extinguuntur? quot ex improuiſo occiduntur? At fortè actu contritionis elicito te ſaluabis? ita ſperas; at ego timeo ne alium actum agas. Noli igitur amabò noli credulus eſſe ijs, qui tibi vident falſa & ſtulta, eos potiùs lubens audi qui non parcunt, quoties, etiam vanâ hâc ſpe, peccas: ſed aperiunt tibi breues dies hominis, poſitum tibi terminum quem præterire non poteris, vt, te maturare faciant, pœnitentiam, ſine qua, vti formidanda mors, ita facilis deſcenſus Auerni.

S. Chbyſoſt: hom: 21, in 2. Cor: 10, c.

Iob: 14.

DOMINICA VIII
POST PENTECOSTEN.

Habebat villicum, qui diffamatus eſt apud eum, quaſi diſsipâſſet bona illius *Lucæ 16. cap:*

INnumeræ virtutes quæ condecorare Villicum bonum poſſunt, fidelitati ita cedere ſolent, vt cuncta eius Encomia compendiare videatur. Et Apoſtolus quidem 1. *Cor.* 4. diſpenſatores myſteriorum DEI collaudaturus: Hic iam quæritur, inquit, inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur. Oſtenditur proinde hanc eſſe Villici boni omnium, ſummam Encomiorum, id quod cedat. A. M. D. T. O. M. G.

Regij

REgij illi duo apud Pharaonem Ægypto Dominantem ſeruitores, neſcio qua cauſâ coniecti erant in carcerem *Gen. 40. cap.* Alter eorum à pinſendis panibus, alter à poculis erat; namq; de eorum culpa aut crimine ſacer textus omninò ſubticet. Niſi fortè, vt fieri amat, è piſtrino ſæpiùs ambulauerint complures venditi pretio, aut etiam dati donolibones; è cella verò Vinaria in collegarum vtres aut ventriculos vina defluxerint meraciſſima. Hebræi, vt refert quidem Societ IESV, dicunt pincernam deliquiſſe muſcâ data in potu, piſtorem verò lapillo in pane. At quidquid illud eſt, quod peccauerunt, alter tamen illorum poſt viſa ſomnia, infidelitatis ſuæ & culpæ pœnam tulit in patibulo, altero ſuæ reſtituto, dignitati. Nihil tam enormiter infamat villicos atque vna infidelitas; Nam cui committitur granarium, piſtrinum, cellarium, horreum, ſi ſaccos, implere grano ſoleat, Domini ſui incommodo, ſi ollas & vrceos potu deliciore, ſiue id, Amicis fiat honorandis? ſiue alendis liberis, aut vxori accommodetur, non eſt fidelitatis, imò ne bonitatis quidem, teſte Euangelio, in quo per modum vnius virtutis, laudantur in ſeruo, bonitas cum fidelitate: ſerue bone & fidelis. Pauper in terris Deus Chriſtus Dominus loculos Eleëmoſynarum, fortè à pijs oblatarum Iudæ Diſcipulo commiſerat. Iudas autem fur erat & loculos habens. Auditor villici mali & infideles niſi loca in quæ ſua deferrent furta, haberent, facerent minùs, ſed quot illos! qui non ſolùm aliena coëmere furtiuè à ſeruis ſed etiam ſuadere vt rapiant conſueuerunt? Theophylacti opinio de Iuda eſt, quia furabatur, & dabat vxori. Heus villice, etiam vxorias neceſſitates Pſalmo corrige dicens: de neceſſitatibus meis erue me *Pſal.* 24. qui enim vxoris ſplendidiùs veſtiendæ gratiâ, Dominum ſuum, fallit, Iudam, in villicatione ſua, omninò æmulatur. Hinc *Pſal. 30* dicebat Rex Dauid: Saluâſti de neceſſitatibus meis animam meam, in documentum illorum, apud quos, infidelitatis vitium, prouerbio celatur communi? neceſſitas frangit legem.

Vide Ioan Iahoda Muſca me retur carceretur lapillus patibulum.

Matt: 25.

Iudas dabat vxorì quod furabatur.

Ex

Exod: 36 Ex mandato Dei quondam fabricabatur Arca testamenti, cui operi postulabatur à populo subsidium & necessaria vt Aurum, argentum, æs, & reliqua, quæ in copia multa populus contribuit. Porrò opus illud Beseléél, & Oliab erat commissum, imò omnia etiam donaria filiorum Israël. tandem cùm viderent opifices superflua dari à populo, dixerunt Moysi: plus offert populus quàm necessarium est. S. Augustinus hanc eorum fidelitatem admiratus ait: Hi Sancti quoque moribus erant. Sed vnde Sancti? nam poterant, si vellent, multa auferre, illi verò egerunt vt prohiberetur contribuere vltrà populus. Auditor, si velimus loqui stylo mundi, & nostræ Ætatis aut æui more, nonne insipientes potiùs, quàm sancti, veniâ tanti Doctoris, essent vocandi? numquid tenet consuetudo ista inter opifices vt omnia superflua, modo conficiatur opus, aut res quæ traditur conficienda, artifici remaneant: Ita quidem faciunt omnes passim artefactorum opifices, sed an fideliter & conscientiâ tutâ, ea, quæ manent residua, de materia oblata, retineant, viderint ipsi. Nolo hoc loco Giezi *4. Reg. 5. cap.* commemorare leprosum, sed vnde illi lepra? quod noluit Dominus, accepit puer; an fecit iuxta illud: quod non capit Christus, hoc rapit fiscus? Ita sanè! At floret etiamnum sacrâ memoriâ Iozeph prouidus, fulget Daniel in foribus Regijs. Villice ne diffameris, esto fidelis. Sanctissimam Deiparam mirificè commendat Euangelista ex eo, quod pudori Neosponsorum in defectu Vini consuluerit, miraculum impetrans à filio. Pulchra subinde à Dominabus fit subuentio, dum subditis iuuandis impendunt patrocinia, eorumque non desunt necessitatibus, fideles vtique dispensatrices creditorum sibi à Deo bonorum. Sed & hoc rarò!

Stylus mundi fideles vocat insipientes.

Gen: c. 41 Daniel: c. 2.

Diuum Abbericum, refert Surius ad I. Iulij, Romam esse do contendisse, cui viæ necessaria tria hæc in vnam confudit lagenam, Vinum, oliuum, Acetum. In via, ruricolæ cuidam obuius, offert commoditatem secum adeundi Romam, quam illc

ille acceptat. Tandem in primo diuersatus hospitio, iubet Episcopus Ruricolam, vinum de lagena fundere. fudit, & quidem purissimum. posterâ die condiendis piscibus Oleum erat necessarium, sed etiam iussa fudit lagena merissimum; demum & aceto opus erat, & Acetum porrò de vase vno eodemque, fluxit ipsissimum. Stupuit ad rei nouitatem tacitus Ruricola, & facto Vespere lagenam adijt, vinum, vt sperabat, bibiturus at vinum dare iussa, oliuum lagena reddidit. Expuit ille ocyùs, & iterato conatu tentans vinum bibere, Aceto potatur mordacissimo. Vtinam semper infideles seruorum Animæ, aliud pro alio inuenirent, & vel icti sapere condiscerent, dispensatores! fidelis enim seruus & prudens in modico probatus supra multa constituitur, æternum remunerandus!

DOMINICA IX. A PENTECOSTE.

In festo Assumptionis Beatissimæ Mariæ Virginis.

CVm appropinquaret IESVS Jerusalem, videns Luc: 19. Ciuitatem fleuit super eam Mirabitur hodie fortassis non nemo Auditor deuote, textum assumpti à me thematis ad triumphalem Matris Christi celebrandam laudibus Assumptionem; sed non est quod vllus miretur. Fefellit sua quondam Bethulienses opinio, incomparabile ratos Encomium illud, quod victrici accinuerunt Heroidi Iudith, his tam solennibus, iuxtà ac magnificis vocibus: Tu gloria Jerusalem, tu honorificentia populi nostri cap. 15. fefellit eos inquam opinio,

opinio, consultiùs vtiq; referuissent hoc ipsum Elogium Deiparæ Virgini, quæ reuera est magna gloria Ierusalem & honorificentia generis humani. Animaduertit id *Cant: 6.* Sponsus eam vocans formosam sicut Jerusalem; & hoc est cur hodie illius gloriosam Assumptionem his celebrem verbis, cùm appropinquaret IESVS Jerusalem, videns Ciuitatem fleuit super eam; fleuit sed olim, nunc verò videns hanc formosam suam Matrem sicut Ierusalem, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, surgit de throno nouus Salomon, humerum suppositurus, vt ascendat innixa super dilectum suum, & resideat in throno, quem sibi plusquam Salomon hic posuit à dextris suis. Surrexit gloriosus IESVS ait Bernardinus Senensis in occursum Matris suæ dilectissimæ. Et, tam mellitis iuxta ac dulcissimis eam affatus verbis, vt ait Guerricus Abbas, communicâsti tu mihi quòd sim Homo, communicabo en ego tibi quod sim DEVS, satis siquidem mihi non videbor glorificatus, nisi & tu glorificeris, in thronum deduxit. Hoc est quod olim prædixit Pater eius *Dauid Psal: 86.* gloriosa dicta sunt de te Ciuitas DEI, quia Ho-
Psal: 86. mo natus est in ea, & ipse fundauit eam Altissimus. Nemo ergo textum à me assumptum miretur, famulatur vtique Assumptioni Deiparæ, non solùm Euangelium huius Dominicæ, ex eo, quòd illa sit verè Ciuitas sancta, in qua incarnari DEI Filius voluit, quòd videns eam IESVS pro fletu lætitiam, pro lacrymis fundat gaudia; sed etiam Flora profana, cuius superstitiosa quondam solennitas, in hodiernam Assumptæ Virginis transiuit, felici commutatione, celebritatem; in qua Patronæ suæ deuoti Clientes, pro suo, acceptis à DEO, patrocinio, terræ frugibus supplices, cum ingenti gratiarum actione, accinunt lætantes. Famulatur eidem & currentis Augusti Plenilunium, quo pulchra vt Luna plenissima in coelos assumitur a Filio Dei, Mater Stellis duodecim coronanda. Dignare Domina laudare me tuam gloriosam Assumptionem Ad Maiorem Dei Gloriam.

Discipu

DIscipulus quem diligebat IESVS *Apoc. 21.* refert vidi Ciuitatem Sanctam Ierusalem nouam descendentem de coelo à DEO paratam sicut Sponsam ornatam Viro suo. Fallar lubens si alia hæc esse possit Ciuitas Ierusalem noua, nisi Deipara Maria, quàm præeligens Deus Pater æternus in Filiam, Filius Dei in Matrem, Spiritus Sanctus in Sponsam, mirum quantum in eam iecerunt ornamenti in benedictionibus præueniendo dulcedinum; adeò vt foret digna esse Ciuitas Sancta, in qua Dei Filius, nasceretur Homo, dicente *Ecclesiastici 24.* ipsa · & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo. Testor S. Matrem Ecclesiam, Eccl: 24.
quæ ita interrogat: Quæ est ista quæ processit sicut Sol, formosa sicut Ierusalem: Hæc ô Mater, de qua ortus est Sol Iustitiæ Christus Deus noster. Quòd verò Diuus Ioannes non ascendentem sed descendentem viderit de coelo Ciuitatem Ierusalem nouam, nihil patitur contrarietatis; dicit enim vlteriùs: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum Apoc: c.
eis. Quodnam illud tabernaculum aliud, nisi Virgo Mater? quæ 21.
habitans cum hominibus, tandem transfertur hodie de deserto mundi, tam speciosa, vt quærant Ciues coelici: quæ est ista quæ ascendit, delicijs affluens, innixa super dilectum suum? q. d. vidimus hactenùs millena-multa sanctorum, hanc nostram ascendere patriam, nullum tamen eorum. ità affluentem & spiritualibus diuitem delicijs, vidisse nos meminimus, vt etiam innixa super dilectum suum Filium & Regem nostrùm ingrederetur. Verum est quod aitis coelestes palatini, multas Animarum hactenùs Sanctorum, coelum ingredi, vidistis. noui & illud, quòd Lazarum in sinum deportaueritis Abrahæ, nam *Luc. 16.* Factum est vt moreretur mendicus & portaretur ab Angelis; sed cur ab Angelis & non ab vno eorum? vt chorum lætitiæ Lazaro
facerent dicit D. Chrysostomus, benè quidem, sed cur non portando
suffecerat vnus vt idem Doctor fatetur? nimirùm grauis meri- non erat
tis, & multis onustus erat virtutibus. Esto enim infatigabiles Angelus
Angeli sint, esto vnus omni portando sat esset Orbi terræ, vnus satis.

at me-

at merita & virtutum ſanctarum meritoria opera, ſuo modo, ponderoſa ſunt apud Deum, & Angelos eius; non proinde miremur, quòd innixa ſuper dilectum ſuum, hæc noua Eſther gradiatur, ſurrexeritque in occurſum eius glorioſus IESVS! aſcendit enim delicijs afluens & gemmis onuſtiſſima virtutum. Non flet ſuper Ciuitatem hodiernam Ieſus, noua vtique non

B. V. eſt noua Ieruſalem.

illa vetus eſt Ieruſalem, plurimis puta referta iniquitatibus & abominationibus, noua inquam eſt, benedicto plena fructu gratiarum; quapropter abſterſit Ieſus lacrymam omnem ab oculis, magnificatus eſt, vt fortè Guerricus aiebat, quia magnificata eſt & Mater!

Illuſtrabit verò id etiam ſcripturæ locus, vbi iratus homini quondam Deus, poſtliminiò placatus eſt: vbi videlicet filius eius Iuſtus Abel, obtulit de pecoribus gregis ſui, & adipibus eorum *Gen. 4.* Aquila enim Doctor inſignis ait, conſolationem accepit Deus. Non aliter factum hodie; habuit grauiſſimas cauſas flendi ſuper veterem Ieruſalem Chtiſtus, ſed videns contra aſcendentem de terra nouam Ieruſalem & ſuam dilectiſſimam Matrem, conſolationem accepit, abſterſit ergo omnem lacrymam ab oculis eius. delicijs affluens & innixa ſuper eum formoſa ſicut Ieruſalem Maria. Significauit eam myſticè vt reor Tobias ſenior *cap: 13.* ſibi precatus: Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndum claritatem Jeruſalem, portæ Jeruſalem ex Saphiro & ſmaragdo ædificabuntur.

B. V. M. Ciuitas refugii.

Celeberrimæ inter alias erant in Scriptura illæ Ciuitates refugij, de quibus *Num: 35. Deut. 19. Ioſue* 20. *cap:* locutus eſt Dominus, in quibus ſeruabatur Salui, qui fudiſſent, euentu aliquo fortuito, ſanguinem proximi. Aſſumptam hodie Virginem Dei Matrem, quam Ciuitatem ſanctam diximus, Eccleſia vocat refugium peccatorum. O quotquot hodie adeſtis peccatores, ad hanc ſanctam Ciuitatem fugite, Duce Mellifluo Bernardo, qui ait; neſcirem quo confugerem, quidnam ſperarem, quomodo me ſaluarem, niſi me totum gratiæ Mariæ commendarem.

mendarem, Et S. Jgnatius Marty: Impoſſibile eſt aliquem ſaluari peccatorem, niſi per tuum ò Virgo auxilium, & fauorem. Huc aduocemus ſponſi de eadém figuratè dicenti, Encomium, ait ille *Cant: 5. cap:* Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea. Huic turri Dauid omnes clypei, omniſque gratiarum fauor cum Jeſu appropinquat. Sed videamus quo pacto interim Flora profana, etiam Sacratiſſimæ feſtiuitati hodiernæ famuletur? Quàm apto vocabulo noſtrates, Herbarum Feſtiuitatem, diem hodiernum vocent animaduertimus, flores enim apparuerunt in terra noſtra, flos campi Chriſtus & Hortus concluſus Maria, lilium inter ſpinas, de deſerto aſcendit delicijs afflüens. Nec vos erroris vllius arguerim Catholici mei, qui vulgò P. Mariaziel-na.

Virginem Deiparam Matrem Dei Herbenſem an Hortenſem potius vocitatis, ſi enim de Herbis ſermonem aut diſcurſum facere velimus, vna Saluia ſatis nobis Encomiorum virgineorum dabit; ajunt quippe, Saluiam, eſſe quaſi ſalutis viam, & Herbarum quidem nulla ſalutis eſſe via poteſt, Maria verò illa eſt, per quam ſalus mundi, vt ait Eccleſia, credentibus apparuit. Congruum fortè erit propoſito noſtro illud, quod inter varias Clari Montis Częſtochouienſis picturas cernere eſt; In throno Maieſtatis Regiæ, ſedet Chriſtus vtrinque gradus patuli acceſſum præbent, adſtat Filio glorioſa Mater noſtraque clemens apud ſe excuſat, vt dicit in ſuo Mariali Eminentiſſimus Erneſtus, mala. Tandem adſcriptum legitur, per Mariam ad nos deſcendit Chriſtus, ad Chriſtum per Mariam aſcendimus. En B. V. eſt Saluia id eſt ſalutis via.

Saluiam noſtram & viam ſalutis, cuius meritis & reconciliamur Deo, & cœlo reddimur, reuocati in viam Veritatis. Floruerint igitur Chriſto naſcente vineæ Engaddi, aſſumpta hodie eiuſdem Mater ſuo nos faxit parrocinio fructiferos, vt ſimus bonus Chriſti odor, in omni loco, & ſicut nouellæ oliuarum in Pſal: 127.

circuitu Dominæ noſtræ, & tandem per temporalem ad æternam ſalutem diſponamur, ipsâ adjurante, quæ glorioſè aſcendit.

dit. Adhuc ſuperat, ad glorioſæ Virginis, hodie Coronatæ in cœlis, obſequia, Auguſti menſis Plenilunium. Quam conuenienter in die Lunæ plenæ, pulchra vt Luna aſcendit Maria, vt exinde influentiarum ſuarum beneficijs ditemur affatim ſub-Lunares famuli, huius cæleſtis Dominæ, Siquidem aduocatam præmiſit peregrinatio noſtra, quæ negotium ſalutis noſtræ, miſericorditer, efficaciterque, vt miſericordiæ Mater, inibi pertractabit.

S. Bernar. Serm: 1. de Aſſump

Stillabunt montes illi dulcedinem, cuius patrocinio, etiam in flammis purgatorijs reſpirant Animæ, mox intra beatitudinis euehendæ conſortia; imò, quod grauiſſimi aſſerunt Authores, ipſius meritis, ipſi etiam adeò, æternis addicti gehennæ incendijs, puniuntur citra condignum. Infamis illa *Prou: 7.* meretrix dicebat: Vir non eſt in domo ſua, in die Lunæ plenæ reuertetur. Aſſumit hodie relictam tantiſper in terris, ſolatium Eccleſiæ ſuæ, Matrem, Chriſtus, in corpore & anima, vbi etiamnum quaſi Luna plena, in diebus ſuis, & in diebus Virtutum, vt ajebat Pontifex Maximus INNOCENTIVS III, lucet.

Prou: 7.

Hodie licet dicere Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo Abacuc: 3. c. cui verò bono? certè noſtro ſteterunt bono, ſi enim ſtare ad juuantis eſt, vt hom: 29. habet SS. Pater Gregorius, ſtant etiamnum nobis ad juuandis parati. Exclamauerimus proinde cum Ioſue: Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon. Meritò igitur Virgo in Plenilunio hodierno aſſumitur Luna plena, meritò quo menſe Cæſar-Auguſtus, aut natus, aut coronatus, à Filio: in capite eius corona Stellarum 12. deponitur; niſi fortè roges, cur non potius Stellarum ſeptem quas Apoſtolus in dextra ſua *Apoc: 7. c.* vidit? Viegas hoc loco Apoſtolos 12. intelligit. Putarem Hierarchias ſignificari nouem, per ſtellas nouem, quibus Regium Mariæ caput coronatur, quibus addiderint reliquas ad numerum duodenarium deſideratas, Pater æternus vt Filiæ, Dei Filius vt Matri, Spiritus Sanctus vt ſponſæ, clamante Mellifluo Bernardo: dignum planè ſtellis coronari caput, quas ornet potius

Corona ſtellarum duodecim.

S. Bernar. ſerm; de

tiùs quàm ipſa ornetur ab eis, exaltata ſuper omnes Choros Angelorum vt canit Eccleſia.

vbi Apoc. 12. ſignum &c.

Ita Matrem ſibi dilectiſſimam, velut Ciuitatem quam incoluit, tabernaculum in quo requieuit, nouam Jeruſalem de qua conſolationem accepit, Chriſtus hodie magnificauit. Vos, qui amore ducti Virginis, nobis etiamnum vacatis, cum latrone beato, Dominam noſtram, votiuis inclamate vocibus: memento noſtri Domina dum veneris in regnum tuum, trahe nos, vt curramus poſt te in Ciuitatem ſanctam & aſpidem rotæ tenentes beá.

Videns Ciuitatem fleuit *Luc: 19.*

Epiſcopus Tundenſis Lucas in vita S. Iſidori memorat, lapides altaris, Diuo conſecrati, octo continuis diebus, aquas largiſſimè manâſſe. Dum verò cauſam facti territus, oratione fuſâ, exquireret populus, reuelatione ſupernâ, inquit, oſtenſum eſt, Regem Aldephonſum tranſactis octo diebus migrare ad Dominum, & in planctûs ſignum, Doctoris Hiſpaniarum Iſidori, altaris pauimenti lapides emittere Aquas. Manat & hodie lapis Angularis Chriſtus aquas lacrymarum Audit. videns ciuitatem flet prædicens fore vt non relinquatur in ea lapis ſuper lapidem eò quod non cognouerit tempus Viſitationis ſuæ! Fleuit (inquit D. Hieronymus) prius redemptor ruinam perfidæ Ciuitatis quam ipſa ſibi Ciuitas non cognoſcebat eſſe venturam. Cui à flente Domino rectè dicitur, ſi cognouiſſes & tu, ſubaudi fleres, quæ modò, quia neſcis quod imminet, exultas. Vtinam & nos eius prouocati exemplo, nos enim ſuper quos flet, ſumus, fleamus. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Eph: c. 2.

Hom: 39. in Euang.

QVod habitatoribus Jeruſalem hoc Animæ noſtræ vſu venit ſæpiùs, cuius vices dum dolet Dominus, neſcia futuri lætatur in rebus peſſimis. Stultum illum iuxta nomen ſuum Nabal accipite. Parabatur ei ab irato Dauid grande malum; Hæc faciat Dominus inimicis Dauid & hæc addat ſi reliquero de omnibus quæ ad ipſum pertinent vſque manè mingentem ad parie-

1. Reg: 25. c.

parietem, minæ ſunt Dauid; Satagit interea vxor ſua Abigail:
pro Dauid ſollicitè: quid porrò Nabal? erat ei conuiuium qua-
ſi conuiuium Regis & cor Nabal iucundum, erat enim ebrius
nimis 1. *Reg: 25.* Cuditur faba peccatori, agit Dominus dolens
vices eius, pro eo, at vtinam ageret & ipſe peccator pro ſe.
flet etenim vt prouocet! Threnorum Scriptor Propheta *cap: 2.*
Thren:c.2 quærit: Cui comparabo te, vel cui aſſimilabo te filia Ieruſalem?
compara eam filiæ petulanti, ſaltatrici & quo neſcio pacto Vir-
ginei-perdam pudoris voca. Videt aliquando ſimile quidpi-
am accidiſſe Mater, & rem imò futuram mox, vbi diuulgatum
fuerit ignominiam flendo, & altùm ſuſpirando conſiderat, filiâ
interim, omnia ſalua, vſque dum manifeſtetur, æſtimante, cho-
reas vt prius hilariter plaudente. Non eſt conueniens talibus
iſte chorus! En anima comparaui te filiæ tali, noli comparari
jumentis inſipientibus, quæ ſibi dum ſaginantur complacent ſed
ſaginantur ad occiſionem. De parricida illo Imperatore Ne-
Sueton. rone fertur quòd ludibundus Romam ſuccenderit & ludens cy-
tharâ eam ſpectarit. O quanti ad Lucernam diuini Verbi, pa-
ratum ſibi vident incendium, ſuper quos flet Saluator, illi au-
tem intelligere noluerunt.

Jucundum Muſicorum ſcitum eſt: ſi duæ fides vniſonæ vni-
formiter concordentur, mox vna icta tintinnire alteram faciet.
Mæſtùm ſonant cytharæ ſacerrimæ Ieſu oculi hodie, quin & no-
ſtri idem? Acciderat pedibus Elizæi ſupplex pro mortuo filio
Sunamitis, ierat Giezi puer vt amoueret eam, cui Vir Dei: di-
mitte eam anima enim eius in amaritudine eſt! *4. Reg. 4.* Flet
hodie Chriſtus & flet ſuper nos, anima enim eius in amaritudi-
ne eſt, vt non dimittamus eum, ſed cum eo in amaritudine ſimus.
Pius valdè aliquando fuit D. Gregorij Magni cogitatus in flen-
Homil:33. in Euang: tem intenti peccatricem, cùm diceret: cuius vel ſaxeum pectus,
illæ huius peccatricis lacrymæ, ad exemplum pœnitendi non
emolliant? Pater ſancte cuius verò vel adamante durius Chri-
ſti lacrymæ pectus Agni immaculati non? Vtinam omnium no-
ſtrûm!

ſtrûm! *4. Reg: 8. c.* Azahel miſſus ad Elizæum à Benadab Re-
ge Syriæ rogatum num eſſet ſanandus, peracto nuncio vidit
flentem Virum Dei & dixit: quare Dominus meus flet? At ille:
quia ſcio quæ facturus es filijs Iſrael mala. Ciuitates eorum
munitas ſuccendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & par-
uulos eorum elides, & prægnantes diuides. Flet Dominus,
quare? Nouit Dominus qui ſunt eius, nouit qui permaneant
ad Coronam, qui permaneant ad flammam. Nouit in area S. Aug: tractia, in
ſua triticum, nouit & paleam, nouit ſegetem, nouit & Zizania!
Iacitur prouerbio: Verba mouent, exempla trahunt. Audi-
tor vtrumque habes in Saluatore. Verba: ſi cognouiſſes &
tu (D. Hieronymus) ſub audi inquit fleres. Exemplum: videns
Ciuitatem fleuit ſuper illam, num quid traheris? magnes ille,
tu, eſto ferreus ſis, trahi debes, palea es, at ille ſuccinum, fle
ſuper peccato, quia ſuper illo flet Saluator. Ad Maiorem Dei
Gloriam.

DOMINICA X.
A PENTECOSTE.

Duo homines aſcenderunt in templum vt orarent
Luc: 18.

NOn miremur duos ſolummodò Templum Salo-
monis aſcendiſſe homines, imò nec tot idem fe-
rè etiamnum aſcendere duntaxat in Eccleſiam,
cæteri enim iuſtè & legitimè occupati, non poſ-
ſunt venire. Non poſſum venire, occlamant
Magnatum Officiales, diſtribuendis, ferri cuſo-

ribus

Impedimenta mūdanorum diuina negligentiam.

ribus & fabris, die Dominico, occupati denarijs diurnis, idem occinit ipsus Magnas, numerandis, in tot capita, per suos, impeditus pecunijs, & recipiendis redditibus, aut rationibus. Quid? an non excusatus à diuinis peregrè amandatus Rusticus? ille quidem, interesse diuinæ rei, mallet, quia verò vrget imperium Domini, vt vectura fiat, diebus festis, ordinaria, excusatur. An fortè cum mittente? Judicia Domini abyssus multa *Psal*: 35. Nolo reliquos circa mille varia domi hærentes, recensere. Placet horum vtriusque pulchra intentio, ascenderunt enim, esto difformi sensu, in templum vt orarent, non circumspicerent, non fabularentur, sed mentem in Deum eleuarent, nec in quo Pharisæus errat, iudicarent cæteros. Prosequor dicta, ostendens eos, qui ascendunt in templum, non vt orent, sed aliâ aliquâ intentione, omninò abesse. quod sit Ad Maiorem Dei Gloriam.

Ascenderunt in templum vt orarent.

NOtum est Philosophis hominem manere Hominem quà talem quàm diu Anima rationalis inest corpori organico; nam Homo constat Anima & corpore totus. Auditor. sed cùm Anima vaga per sensus suos euolat iam in famam alterius, iam in tectum, aut quod horreas in lectum, numquid adest corpori & non plus est vbi detrahit, vbi temariè iudicat, vbi turpiter deperit, imò mæchatur, quàm vbi animat corpus? Absunt absunt omninò templo & Diuinis temerarij proximorum iudices, turpium fautores cogitationum & concupiscentiarum Patróni. Cantemus porrò similibus Auditor deuote; Viæ Sion lugent

Thr. 1. 4.

eò quòd non sint, qui veniant ad solennitatem, vtique magis veniunt ad iudicia, oblocutionem & detractionem, sicubi aliàs in templo sanè abominandam. *Luca 7. c.* Pharisæus Christi inuitator fuit & irrisor, dixit enim: hic si esset propheta sciret vtique quæ & qualis est mulier quæ tangit eum quia peccatrix est.

Luc: 7.

Falleris, inquit Franciscus de Sales, non est peccatrix, sed humilis deprecatrix. In Christo verò falsus est omnimodè. At

peccaue-

peccauerit Simon, peccauit domi suæ malè judicans, tu verò qui templum Dei ascendis eo animo vt cæteros iudices, domo Orationis in speluncam latronum conuersâ, quasi Homicidium, latro proximi tui Famæ effectus, committis. O quantum absunt a templo qui alienæ famæ in templo rei & odientes proximum fiunt Homicidæ! Anima eorum plus est vbi occidit detrahendo, quàm animet membra corporis vegetando. Auditor! ita magnum & nouum tibi videri debet cum Missam audis, ac si eodem die Christus primum in cruce pateretur.

T. Kemp:

Ascenderunt in templum vt orarent, non circumspicerent.

Mirabilem cautelam in templum ascendentibus suppeditat sapiens *Ecclesiastæ c. 4.* Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei. Sed quid necesse est custodire eum? cùm Angelis suis mandauerit de nobis Deus, vt custodirent nos, ne fortè offendamus ad lapidem pedem nostrum *Psal: 90*? Moraliter, qui offendi non vult pedem suum ad lapidem, non circumspicit, non euagatur oculis, sed terram intentè aspicit, offendicula considerat omnia, cautè pauimentum ipsum in ambulat. Esto igitur adsint custodes, cooperari nos eisdem desiderat, vt omnem distractionem, ab animo, dum vacare illius colloquio intendimus, amoueat. Ita laudi datur hodie factum Publicani, qui nolebat nec oculos in cœlum leuare, timebat enim offendere. nimirùm lapis offensionis curioso oculo, omne est, quod intuetur malè Nescio quid insolitum Dominus volebat ostensum Prophetæ, cùm iuberet eum fodere parietem templi *Ezech: 8. cap:* vidit ille fosso, vt erat iussus, pariete, serpentes varios & varia venenata, cui Dominus. videbis abominationes maiores. Ne iusseris obsecro Domine cordium parietem fodi eorum, qui templum tuum adeunt, non vt orent sed circumspiciant, quia Diuini oculi tui non sustinerent fortè videre abominationes longè maiores, quàm dùm alibi oculis euagari amant curiosissimis! Et

Eccl: 4.

Ezech: 8.

putem

putem eos adesse sacris qui ad tam profana difluxerunt? nequaquam.

Ascenderunt in templum, vt orarent, non fabularentur.

Dæmon in pelle conscribit distractorum cogitatu.

In legenda Sancti Syri Dæmon peccata in templo distractorum scribebat super pelle Bouina? quâ tot scribendis deficiente, dentibus mordicùs arreptam extendere nitebatur, illisô in parietem capite. Veniet, veniet dies illa! & Dominus reuelabit condensa &: beati, qui in templo eius dixerunt gloriam. Testentur tres illæ puellæ de quibus Gostchalcus serm: 100. part: ait. Prima enim ex Christi Passi Corona quam meditata vt Roseam. altera ex Infantiæ eiusdem consideratione Roseo-candidam promeruit Corollam. Tertia verò ex affectatione chorearum saltatores glites Orcinos, in sua talari veste conspicata obtinuit. Heu ascendentium in templum diuersam & malam Intentionem! pretium non vile, imò dicere volebam Analogum, laboris, pro gyro chorearum salacissimos Orci glires! In circo & chorea sunt qui huic similia, intra sacri limina templi meditantur. Amabo te noli vltrà ascendere vbi adoratur in Spiritu & veritate Dominus, nisi & soli solus loqui intenderis, cum factorum tuorum & delictorum quæ admisisti detestatione, dolens genuino offensi Dei amore, & cùm dilexeris multum, dimittentur tibi multa *Luc. 7.* descendesque in domum tuam iustificatus, præ illis, qui absentes animâ, absunt omnimodè.

V. Pia Hilaria.

Invectæ puellæ de choreis cogitante in templo, glires saltant.

DOMINICA XI. POST. PENTECOSTEN.

Adducunt ei surdum. *Mar: 7.*

Infælix

INfelix surditas quæ hominem beneficio omnium maximo priuat audiendi Verbum DEI & consequenter thesauro Fidei, sine qua impossibile est placare DEO Hebr. 11. Vnde vnde oriatur illa, digna vitari dum potest, omnimodâ medelâ dum accidit, extremo ploratu si incurabilis euadat. At inuenio quandam surditatem, tam facilè vitabilem, atque facilè contrahibilem. quæ verò illa?

In Regione dicta Roijl inquit Boterus; datur lapis ferè duodecim pedes longus, 33. verò pedes latus, & vocatur Surdus. namque, si duo vtrinque eidem proximi adstent, & alter alterum quantalibet stentoreâ inclamet voce, ne minimum quidem clamoris audiet socius, quàm diu propè lapidem steterit, secùs verò si aliquantum ab eo recesserit. O quot simili adstamus lapidi Surdo, nec Dei monentis, imò & minantis vocem percipimus, nec aliundè reor nisi quia propè eidem adhærentes surdescimus, mox eandem gratis etiam excepturi auribus, si tantisper ab illo nos dimoueremus. Vt proinde lapis hic offensiuus aurium & Animarum euitari possit à nobis, discursu præsenti manifestus apparebit: Ad Maiorem DEI Gloriam.

Lapis surdus.

QVòd nonnulli nostrûm, ad, monita specialia Dei inspirantis, surdi fiant, nec intùs audiant sine strepitu verborum, disertissimum, Lapis surdus, cui adstant & propè eum hærent, facere censendus est. sin autem elongarent se ab eo, vtique audirent. Lucidiùs eadem aperiamus! quòd aliqui in peccatis certis, vt sunt Capitalia, viuentes, voces de eorum turpitudine prædicantium, & mille varia in eis Animarum pericula denudantium, non accipiant, neque credant, causa est Lapis surdus & Amor siue delectatio talis peccati. Quòd Superbus contemnat casum luciperdæ, & Angeli superbi, facit lapis surdus & incredulitas illius, quâ sibi ipsi persuadet non fore se eius socium in tenebris exterioribus, ob suam perditam animi elationem. Quòd Auari, Apostoli monitum vilipendant asseueranter

ter dicentis : quia Auari regnum Dei non poſſidebunt, quid
cauſæ ? lapis ſurdus, perſuaſio, & mala opinio propria, quæ
extenuat ſpecies Auaritiæ, & Vſuras palliat, velo charitatis,
nec tantum proximi eſſe damnum aſſentitur.. Inclamantur
ſubinde Voluptatis ſectatores & Epulonis Euangelici fratres,
illis terribilibus : quantum glorificauit ſe & in delicijs fuit,
tantùm date ei tormentum & luctum. At retrò ſecùs Lapidem
ſurdum ſtant, concupiſcentiâ carnis & oculorum irretiti! funes
peccatorum circumplexi ſunt eos *Pſal: 118.* ne elongarent ſe
ab iniquitate. Tota capita Scripturarum, & Homiliæ Sancto-
rum Patrum, Inuidos perſtringunt, ipſe adeò omnipotens im-
perat : diliges proximum tuum ſicut teipſum ; ſed Lapis ſurdus
Meum, & tuum, innumera etiamnum gignit bella. Gehennæ
igni tradendos Iræ fautores, *Matt: 5.* & proximorum Oſores
1. Ioan: 2. quos D. Ioännes vocat meritiſſimè homicidas, aſſeruit Chriſtus
Dominus, imò, ſuo docuit, exemplo, inimicos diligendos, mi-
tiſſimus hic Agnus, verùm etiam ita miteſcere, vel Agno, qui
tulit peccata mundi, conſpecto, non ſinit Elephantos irâ ac-
cenſos Lapis ſurdus, rancor & odium proximi inueteratum.
Idem de reliquis eſto judicium, nam in omni peccato ſurde-
ſcunt homines per eius miſeram dilectionem, captiuantem eos
nec recedere facilè permittentem. Vnum omnibus ſurdum
Lapidem, in exemplum placuerit Nabal accipere, qui, *1. Reg:*
25. nuncios Dauid contempſit, & preces eorum: ſed poſtquam
ab vxore periculi, quod ſibi imminebat, ſeriem, audiuit: emor-
1. Reg: 25. tuum eſt cor eius intrinſecùs, & factus eſt quaſi lapis ! Emorie-
tur aliquando terrore nimio cor tuum ô dure & ſurde lapis,
qui nunc lapidem remouere occaſionis peccaminoſæ negligis,
at ſero! nunc, nunc, procul hinc, procul à Lapide, te abijce
amorum & illecebrarum, vt vox Jesu ſonet in auribus cordis
tui dulciſſima! Optarem quidem, vtinam mea etiam Deus vota
ſecundaret hodie, omnes elongare à tam pernicioſo Lapide ſur-
do, ſed quis modus?

Pierius

Pierius Valerianus de polypis *lib: 27. cap:* 21. habet : Eos
potiùs detrunces, quàm poſſis vllo conatu petris, aut quidquid
apprehenderint, auellere, Interim, inquit idem, ajunt aquâ
dulci ſuper infusâ, protinùs reſilire. En & ego vobis hodie ad
ſurdum Lapidem ſtantibus vitiorum, dulciſſimam ex Chriſti
oculis aquam offero; illam quâ pedes infelicis Diſcipuli infudit,
dum pedes ſibi lauaret, illam quam in paterni Amoris dicam
an Doloris ſignificationem? videns Ciuitatem olim ruituram,
effudit ex oculis, vel hâc infuſi reſilite! elongate fugientes à Pſal: 54.
ſurdo Lapide inueteratæ conſuetudinis, nec vltrà obdurate
corda veſtra. Gutta cauat lapidem. At timeo vobis & mihi pro- Pſal: 99.
uerbium illud : ſurdo Fabulam. timeo in vobis induratum cor
Pharaonis ne inueniam, cogarque etiam inuitus occinere : in-
duratum eſt cor Pharaonis non vult dimittere. quid tale ? non
vult dimittere dilectam, non vult dimittere iniuriam, non vult
dimittere conſuetam peccandi libertatem, verbo lapidem offen-
ſionis & cauſam æternæ damnationis. Sypilus mons Tantali
filiam Thebanorum Reginam, fecit mutari in petram & lapi-
dem. Ariſtoteles de montibus Pergami refert, illic aliquando
latomos & lapicidas vi afflantium ventorum in lapides duruiſſe Lapideſcere facit longa conſuetudo peccandi.
cum inſtrumentis ſuis. En quod verebar accidit multis, ve-
rebar enim ne ſurdis narrarem fabulam hoc eſt lapideis & ada-
mantibus, & ecce quot iam à ſurdo peccatorum in quibus hæ-
rent lapide, in ſaxa & lapides conuerſi; narra luxurioſo de
amplectenda continentia, intemperanti de ſobrietate, tenaci de
pulchra liberalitate, ſurdo fabulam, imò lapidi, imò ipſi Luxu-
riæ, ipſi intemperantiæ, ipſi parcitati. Querebatur propheta
Pſal: 57. de quibusdam obturantibus aures ſuas ſicut aſpides
ſurdæ. ſimiles puta qui ſurdo adſtant, vt præfati ſumus, lapidi,
non exaudient vocem incantantis ſapienter, difficiles motu, ſi-
cut aſpides ſurdæ! An diſſimilis ille apud Cæſarium, quem
mellitiſſimus Animarum incantator Chriſtus poſt oblatam,
modò reſipuiſſet, veniam, fruſtrà eſto dulciſſimâ, quia verè pa-
ternâ voce, non flexit ?

Docent

*Surdaster audiet sic.

Docent Phisiologi posse etiam surdastros fieri cytharæ auditores, tenendo virgulam super chordas positam in dentibus, sic enim aiunt sensurum quamlibet suauitatem harmonicam. S. Vincentius Serm: 1. de Paschate, Christum Dominum vocat cytharam iuxta *Psal: 56.* Exurge gloria mea, exurge Psalterium & cythara. Ad hanc ego vos omnes qui propè surdum lapidem statis ô surdastri, cytharam remitto, apprehendite modicùs virgam eius & cruci eius tantisper immoremini animitùs considerandæ, percutiat vulnerum eius memoria durissimi cordis vestri chordam, & suauitatis eius imò passionis eius indormite affectui. Recedite recedite Deum immortalem! à surdo turpitudinum & malitiæ lapide & si fortè eius mellitissimam audieritis cytharæ Harmoniam, debui dicere Christi patientis expectoratum illud Sitio! non vinum, sed vos vinum nouum! nolite obturiare corda vestra, Aureus vtique dies, quo cytharam Cæsaris huius (vt Nero) quondam dixit, audieritis. Ad Maiorem Dei Glotiam.

Loquebatur rectè *Marci 7.*

S. Franciscus Xauerius à diuersis vnâ linguâ dicens, intellectus.

Miraculum credebat antiquitas siquispluribus & diueris linguis rectè loqueretur. Hinc Tricor Ennius habitus ex eo quod ternâ loqueretur, videlicet Latinè, Græcè & Oscè, Mithridatem verò 22. examussim callentem & loquentem quis non miraretur? Sed veniat ad nos, & Christi Apostolos (vt est Act: 2.) audiat loquentes varijs linguis Magnalia Dei. Veniat & stupescat S. Xauerium vnico sæpiùs idiomate ad diuersas gentes concionatum & ab vnaquaque, linguâ suà loqui auditum. Patiens Christi hodiernus, vt eum fecit loqui (mutus enim adductus erat) loquebatut rectè, Insigne Encomium, siquis, siue vno, siue pluribus idiomatibus rectè loquatur, dantur & enim qui loquuntur sed non rectè, puta: Balbutientes, blesi, & curui oris vt nostrâ dicimus vernacula. De quibus A. M. D. T. O. M. G. &c.

SVnt quibus impedita lingua est, nec effari nonnulla nisi maximo nisu & balbutiendo aut iterando priorem vocabuli proferendi syllabam possunt. qualis illa apud Poëtam: Spe-

Versiculus balbutiens.

Spero fututurum te Phiphilippe breui!

Auditor quinam huic similes? illi illi sunt filij Belial qui de industria spurca quædam effutientes, interim citra voluntatem accidisse fingentes, constuprant aures innocentûm scelerate dictis, & quærunt excusare excusationes in peccatis dicentes: lingua præcucurrit mentem. Eiusdem farinæ sunt, qui bona loqui nisi cum interruptione & vi factâ solent, impia verò præcipitantissimè & nullo prorsus negotio oblaterant. Insignis quidam alicui erat, & est famosus Balbutiens in familiari colloquio, aliàs expeditissimus in blasphemijs adeò vt multa Sacramentorum millia impius enumerârit vel omni ocyùs Euro: sin eidem loquendum acciderit piè, nonnisi cum tormento id fecerit, arteriarum, & gutturis & linguæ. Auditor? non loquitur rectè qui contrà Deum, qui contra Sanctos eius Amicos loquax est. Mirabile plerumque euenit, quod in pueris animaduertere est, quidquid illi spurcum, quidquid obscænum, quidquid deniq; à senioribus acceperint blaspemum, illud cum omni eloquantur facilitate, contrà verò in peroranda Oratione Dominica, salutatione Virginis Deiparæ, Symbolo Apostolico, mirum! quantum titubent. Adducendi putem ad Saluatorem, vt soluatur vinculum linguæ, erraui, vt adstringatur magis, neque enim rectè loquuntur, nisi dum loquuntur magnalia Dei. Nec riseris hæc, Angeli eorum vt inquit Christus *Matt:* 5. videntes semper faciem patris eius qui in cœlis est, aliter ad cunas eiusdem Domini locuti sunt.

Balbutiens mirabilis.

Animaduertitur crebriùs & istud in Balbutientibus, quòd pudore stimulati, fortissimo impetu, maximè in hominum frequentia dum loquuntur, verba proferant & rectiùs quidem ac aliàs. Auditor & Detractores quo plures eorum auscultant sermonem, eò magis, proximi famam impudenter lacerant. Fertur Persarum Regem Darium militi detrahenti coram se Alexandro Magno perfodisse gladio jugulum. quàm acutus est mucro Domini, in eos qui alienæ non parcunt famæ! sed olim.

olim ſtringendus ! Nec Bleſi affectatâ linguâ rectè loquuntur quia Euphoniam confundunt. Psal. 54. Annon ſimiles Adulatorum linguæ ? molliti ſunt ſermones eorum ſuper oleum, & ipſi ſunt jacula *Pſal.* 54. Animam lædentia. Benè monet adagium, Adulationis venenum, aconito magis noxium ! Sigiſmundus Cæſar adulanti palàm infregit colaphum & cauſam roganti reddidit : cur me mordes ? Octauianus Auguſtus Imperator Rom. Vercouium fumo enecat cum epigraphe : fumo punitur, qui fumos vendebat. Bleſi & affectate & blandiendo loquuntur, homines verò duplici corde aliud ore, aliud corde. velut illi *Matt.* 22. Magiſter ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, cùm interim conſilium iniêrint vt caperent eum in ſermone. Neſciebat blandiri nec bleſus erat Sanctus Epiſcopus & inclytus Martyr Leodegartus, qui veritatis ob teſtimonium labijs & linguâ multatus mutilatuſque, ſine labijs & lingua facundus ad concionem loquebatur rectè vt habet Surius 11. Octobr. O linguam auream ! Denique curui-oris rectè loqui non valent, quòd potiùs falſi oris hominibus adſcripſerim. Erat huius Nominis Rex quidam Poloniæ cuius Krziwouſty. nomen id eſt curuum, os habere dici meritò poſſunt, qui ſimulatâ veritate falſa loquuntur. At væ timuerint omnes hi, væ 1.Reg: 2. enim duplici corde, væ falſis teſtibus quia Dominus judex eſt & ipſi præparantur cogitationes. Auditor ? prohibe linguam Pſal: 33. tuam à malo & labia tua ne loquantur dolum *Pſal.* 33. loquere proximo tuo & non decipe, ſic rectè locutus es !

DOMINICA XII.

Beati oculi qui vident quæ vos *Luc: 10.*

DEſiderabant aliquando omnes Reges terrarum videre faciem Salomonis vt audirent ſapientiam quam dedderat Deus in corde eius *2. Paral:9.* Regina quoq; Auſtri venerat in Ieruſalem videre eum, cumq; ex ordine luſtrâſſet omnia, ſemianimis, in hoc tale proruperat Encomium: Beati Viri tui & beäti ſerui tui, qui aſſiſtunt coram te omni tempore. Auditor, beätiores putem longè Diſcipulorum, pluſquam Salomonis Chriſti, oculos, quibus datum videre quod non datum multis Regibus, quid enim ſeruus habere poſſit præ Domino ? vmbræ præ veritate, ſapiens terreus præ æterno & increato ? At dicat Saba beäti oculi ſeruorum Salomonis, dicat pluſquam Salomon Chriſtus Dominus, beäti oculi meorum, qui vident ea quæ multis videre non datum Regibus & Iuſtis, ego de æuo & ætate noſtrâ audenter dixerim : beätiores oculi qui non, vident quæ nos videmus male. Ad Maiorem Dei Gloriam, & meam proximique ſalutem.

In votis quidam habuit Propheta ſuis, priùs oppetere mortem, quàm venturi mala cernere æui cùm, diceret *Habacuc.* 3. Abac: 3. Ingrediatur putredo in oſſibus meis & ſubter me ſcateat vt requieſcam in die tribulationis. An æuum noſtrum futurum intellexit ? exiſtimarem ita ; quid enim omnes dies noſtri niſi meriſſima ſunt tribulatio ? numera oppreſſiones pauperum, exactiones mille varias, adinuentiones, fraudes, injurias & ſexcenta id genus ſimilia. Certè beäti oculi qui non vident quæ nos ! Non reuoco quadraginta iam retrò actos in ſumma tribulatione bellica & luctuoſa, Imperij preſſura, annos, impræſentiarum durat etiamnum afflictio. Ad turbas quæ in deſertum exibant, Baptiſtæ ſui videndi gratiâ, dicebat Saluator *Matt.* 17. quid exiſtis videre in deſertum ? At quæram & ego hodie ex modò genitis paruulis & filijs hominum : quid exiſtis videre ex vtero in deſertum mundi huius, in maligno poſiti ? ſu-

stinete amabo modicum, donec Regem Israël Sapientissimum
Eccl: 4. aduocem, qui mundi omnes moritò donet iudicio vanitates & dicat: laudaui magis mortuos, quàm viuentes & feliciorem vtroque iudicaui qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub Sole fiunt *Ecclesiastæ 4.* Quæ verò illa? vidi calumnias quæ sub sole geruntur, & lacrymas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum, auxilio destitutos. Dices haud dubito mihi; hæc quidem Salomonis tempore, non autem nostrâ memoriâ. Imò videre est longè his acerbiora; illic enim innocentes lacrymati sunt, hîc ne lacrymari quidem satis permittuntur, tum non erat qui consolaretur, iam verò patres orphanorum & Iudices viduarum,
Iob: 30. mutati sunt in crudeles! tempore Salomonis non poterant
Æui nostri bona. resistere violentiæ, nunc omninò jacent contriti. Ingredere mecum amabo & considera, nulla dies sine linea, quam, tergo inscribit, flagellum, oppressi vasalli, non hora vacua, quam Deo, etiam festiuâ die, applicet subditus miser. nunquam vacat carcer, in horas audiuntur lamentationes & væ!

Speciali gratiâ actum est illud à Deo, quòd multos futuris malis eripere statuens, priùs fecerit emori quàm euenirent. Hinc *2. Paralip. 34.* Iosiæ Regi per Oldam Prophetissam omnipotens: non videbunt oculi tui mala, quæ inducturus sum super locum istum, & super habitatores eius, colligam te ad Patres tuos & infereris in sepulchrum in pace. Salomonis quoque tempore distulit Dominus, scindere regnum de manu eius id quod fecit in diebus filij sui Roboām *2. Reg: 12.* Denique & Ezechias prædicenti sibi Isaiæ thesauri Regalis direptionem *4.*
4. Reg: 20. *Reg. 20.* dicebat: Bonus sermo Dimini, quem locutus est, sit tantùm pax & veritas in diebus meis. Nimirùm beâti qui non vident, quæ videmus, etiamnum mala. Dignum memoriâ hominum est quod præsago quondam spiritu filio suo, & nepotibus Tobias senior iam morti propior edixit, *cap. 14.* Nunc ergo filij audite me & nolite manere hîc, sed quocunque die sepelin-

sepelieritis matrem vestram circa me in vno sepulchro, ex eo dirigite gressûs vestros vt exeatis hinc, video enim quia iniquitas eius finem dabit ei. Noluit sanctus vir expectari à suis ventura mala & videri ruinam Niniue, quam diuino afflatus spiritu præuidit. Auditor quot mala ruinarum videmus merito- Tob: 14.
ria? *Luc: 18. cap.* Mendicus ille qui sedebat secus viam & prætereuntem audiuit Dominum clamabat? IESV filij Dauid miserere mei & rogatus quid sibi fieri vellet, respondit: Domine vt videam; quid illuminatus viderit, nescimus, sed nunc vix ei suaderem petere similiter & clamare, vt videam. Quid enim? manifesta proximi illusio, Iustitiæ sanctæ conculcatio, sacrorum neglectus, & vt verbo Euangelico vtar, dicamque omnia impendio, mera est abominatio desolationis ita vt plerique omnes passim iterent Iobi versiculum tædet animam meam vitæ meæ *cap. 7.* Et nondum beâtiores qui non vident quæ nos? Alter occurrit cæcus *Marc. 8.* itidem à Christo illuminatus, & quidnam videret requisitus: video, inquit, homines sicut arbores ambulantes. Auditor si iam cæcorum vnus aliquis annorum v. c. quinquaginta illuminaretur, quid putas primo videret intuitu? credo non diceret, video homines sicut arbores, sed sicut bestias & volucres ambulantes! Certè si aliquandò, vere nunc Homo arbor inuersa, quem si Rex Propheta conspiceret, altiùs ac olim exclamaret nunc: Auerte oculos meos ne videant vanitatem, aut certè: aspice in me & miserere mei! Transeo omnia vana, vestit⁹ sit judex & vindex hominũ istorum! Sanctus Patriarcha Ioseph morti proximus, fratres suos adiurauerat *Genes: 50:* Visitabit vos Dominus, asportate ossa mea vobiscum. id quod fecisse eos sacer textus commemorat. Quid intenderit hoc facto Patriarcha, multi multa. optimè nonnulli optasse ajunt, locum sepulturæ in terra promissionis. Auditor amabo te dic, vellesne? inter quosdam tua locari ossa? Verùm quid adhuc egemus testibus? vade in cauponas, popinatias tabernas, choreas, imò Aulas adi, lubens Thomisticum illud fateberis: beâti qui non viderunt. A. M. D. G.

Versiculus Iobi ætate nostra decantandus

Mar: 8.

Psal: 118.

Ioseph noluit ossa sua relinqui in Ægypto.

Ioan: 20.

Et

Et proximum tuum ſicut te ipſum. *Luc. 10.*

DE proximi dilectione ſermonem facienti mihi, D. Proſperi mox occurrit ſententia. Hæc eſt proximi tota dilectio, vt bonum, quod tibi conferri vis, velis & proximo, & malum quod tibi nolis accidere, nolis & promixo? Sed eheu quanti ſunt qui auratæ huic reclament opinioni? illud opponentes: proximus quiſque ſibi. Et: qui ſibi nequam eſt, cui bonus *Eccles. 34. cap.* ſatis eſt nolle malum proximi. bonum verò
Matt:24 magis ſibi fauet, vel ipſa innata affectio! Refrixit multorum (vt ait Dominus) charitas, quæ non quærit quæ ſua ſunt, nec niſi meliora æmulatur chariſmata vt ſibi, ita proximis omninò communia. At deſuntne? quæ inducant in Amorem & dilectionem proximi? Minimè. Naturæ. Chriſti, & Sanctorum Exempla inducunt. id quod Ad Maiorem Dei Gloriam.

Et proximum tuum ſicut te ipſum. *Luc. 10.*

NAturalem faciens diſcurſum Eccleſiaſticus 13 *cap.* ait: Omne animal diligit ſimile ſibi, ſic & omnis Homo proximum ſibi. Et de animalibus quidem palàm eſt at iſthæc veritas, nec enim perſequuntur ſe inuicem ſimilia, nec oderunt aliàs in confuſionem noſtram, quibus & ratio præ animalibus, & diuinæ ſuppetit particula Auræ, odit interim ſpeciem ſuam in fratre perſequens Homo, auerſatur in proximo! Auditor Arcam mecum amabo ingredere Noemiticam, quàm rara eſt concordia fratrum, qualis hîc inter animalia. Quid Ceruos paſſim ſui ſimilium amantes? quid Grues memorem aut cæteras volucres, cœli vnanimi volatu iunctiſſimas proferam? ſi porrò illæ vel naturæ ſolius ductu adeò ſibi inuicem, quomodo homini Homo lupus? ſæpiuſculè lupus ſit proximo homini Homo qui lege diuinâ futurus erat Deus! nec enim deſunt qui ita accipiant illud Geneſeos: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, ideſt amantem & diligentem proximos, ſicut Deus prior dilexit nos. *Iobi cap: 17.* proximi

Animalia bruta amare inuicem notorium.

mi dilectio ſuadetur: Viſitans ſpeciem tuam non peccabis, puta ſi te in illo recognoſcas, & alterum te, conſideres ità, vt ipſi volens bonum, tibi ipſi quodam modò velis, & contrà. Elephantis, certis natura inſeuit virtutibus, vt quaſi doleant ſociorum captiuitatem, Sepia ad occultandos ſocios atrum naturali emanat folliculo humorem, quo & Aquæ infuſcentur, & lateant ſepiæ. An hominum aliquis proximi auertere damna, occultare defectus nouit? Danielem ſcimus inter Leones quàm inter Homines fœliciorem, iſti quidem in ſuam conſpirârunt mortem, illi etiam captiuo pepercerunt! Interim: dilectio ſummum fidei ſacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus inquit Tertullianus.

Sepia piſcis occultat ſocios mirabiliter.

In amorem proximi inducit exemplum Chriſti!

Non auſim ampliori paraphraſi eius erga hominem exaggerare dilectionem atque iſta eſt, quam Sancta Mater Eccleſia ab Apoſtolis traditam frequentat dicens: qui propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis, & incarnatus eſt de Spiritu Sancto ex Maria Virgine & HOMO factus eſt. Quòd ſi parùm dixiſſe videmur, quid vni Iudæ, amorum impendat altiùs conſidera. Et hæc quidem propter aſſumptam humanitatem, primogenitus in multis fratribus, facere dignatur, Dei Filius; qui omnes vult ſaluos fieri, nec mortem vult peccatoris, multus ad ignoſcendum Dominus *Iſai:* 55. quin & orat pro nobis: Pater ignoſce non enim ſciunt quid faciant. Plura pro lacrymabundo Oratore, eius pietatis & miſericordiæ viſcera, loquantur.

Rom: 8.
Iſa: 55.
Luce 3:

Ad proximi dilectionem Sanctorum Exempla.

Sanctus Pater Societatis IESV Ignatius ſæpius dicere auditus eſt; malle ſe incertum beatitudinis viuere, & proximi ſeruire ſaluti, quàm certum iilius, emori! Reformatrix Carmelitarum D. Thereſia infidelium tenebras, perpetuis defletum lacrumis optans eorum animitùs conuerſionem. *S.* Paulinus Nolæ Epiſcopus ſe ipſum vendit, vt viduæ filium redimat. Recens faſtis

Sanctorũ charitas & Amor erga proximum.

faſtis Sanctorum adſcriptus Petrus Nolaſco Barchinonam pergens, cùm Chriſti fidelibus, ab hoſtium ſeruitute redimendis omnem pecuniam conſumpſiſſet, ſe ipſum pro ijs liberandis venum ire aut in illorum vincula ſuffici cupere dictitabat. Vnde cœleſti monito & Dei genitricis oraculo Religionem Beatæ Mariæ de mercede redemptionis captiuorum inſtituit. Et
In Vita eorum. ne longior ſolitò videar, S. Martinus Turonenſium Epiſcopus chlamidis dimidio, Chriſtum in proximo veſtiuit; S. Gregorius Magnus eundem in paupere cibauit. Alij alia in Dominum per amorem & charitatem proximo impenſam operati ſunt. Tu Auditor deuote, Dauidi tuo, qui proximus eſt, ad imitationem Ionathæ in charitate non ficta conglutinare, niſi enim velis illi benè, nec tibi vnquam bene voluiſti. Ad Maiorem DEI Gloriam.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Viri Leproſi. *Luc:* 17.

VNanimi ſacrorum Patrum conſenſu Lepra pro mortali peccato accipitur. S. Auguſtinus verò falſam notari per lepræ maculas, doctrinam contendit *lib.* 2. *Quæſt: Euang:* 4 *cap.* Quærendum eſt igitur quid ipſa Lepra ſignificet? non enim ſanati ſed mundati dicuntur, qui eâ caruerunt. Coloris quippue (inquit) vitium eſt, non ſanitatis. Quidquid porrò ſit de nomine & ſignificatione Lepræ, ego tanti Doctoris verba & ſententiam ſecutus, & ſiquidem coloris vitium eſt Lepra, quæ aliàs peccatum deſignat, oſtendo

do Animæ, colorem vitiari maximè per peccatum, quo adeò
deturpatur, vt ipſis Dæmonibus ſimilis fiat Homo, per illud ad-
miſſum. Quod ſit Ad Maiorem Dei Gloriam.

THrenorum Scriptor *cap.* 4. deflens miſeram filiorum Sion
calamitatem, & hoc queſtus eſt: candidiores niue Nazarei
eius, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro
pulchriores, denigrata eſt facies eorum ſuper carbones, & non
ſunt cogniti in plateis. Sed quid facies eorum adeò turpauit? Tren.
vmbra & figura peccati iſthæc eſt Auditor quæ in morem le- cap 4.
præ faciem Animæ, imò carbonis inſtar denigrat vitiatque, &
ad imaginem & ſimilitudinem Dei factum hominem, non ho-
minem, nec ſui ſimilem reddit, ex imagine Diuina, format Dia-
bolicam. Audiamus pium Hilare Angelini. Adulter bibulus Adulterni
dum à nefario redit opere, Dæmonis imaginem in facie refert, Dæmonē
vxorem filios, & vicinos exterret, fugientes fruſtrà à timore re- transfigu-
uocare conatur, imò ipſum adeò Myſtam, terribili, quam in pec- ratur.
cando contraxit, facie perculſum, fugat; donec nomine cum Cantiß:
lacrymis euulgato, dum ſuam culpam confitendo, priori reſti- libr. 2.
tuitur uultui, per ſacram Pœnitentiam expiatus, ex Dæmone cap 30.
fit Homo. En quid coloris inducat in faciem Animæ pecca-
toris, Lepra peccati; hem quàm inauditus pictor, hominem
transfigurat in Angelum tenebrarum. Optimè quondam D. Hom. 25.
Baſilius: fle ſuper peccato, peccatum eſt magnus Dæmon, ima-
ginem Dei, ſuâ permutat Orcinâ. non eſt cognitus in plateis
adulter ille, quia peccatum imò Dæmonem induerat. Audi-
tor qui ſe peccati leprâ coinquinat, & ſuper carbones denigrat
Nazaræam Animam; non cognoſcitur in plateis cœleſtibus,
quia vuultum Dei exuit, induit Caco-Dæmonis. Ipſe adeò
creator ilium ab negat &c, cum D. Cypriano loquor 8. *cap. lib.*
de diſcipl: & Habitu Virg: dicit: opus hoc meum non eſt, nec
imago hæc noſtra eſt, cutem falſo medicamine (vitiorum) im-
buiſti, crimen adulterino colore mutaſti. Expugnata eſt men-
dacio facies, figura corrupta eſt, vultus alienus eſt. Deum vi-
dere

videre non poteris, quando oculi tui non sunt, quos Deus fecit, sed quos Diabolus infecit. Vitium coloris lepra est, animæ, atramentum turpiter maculans, peccatum, vitiat colorem faciei lepra, Dei imaginem corrumpit lethalis culpa.

Lepidum est valde quod in Lentinum, iactat quendam Poëta Romanus :

Mentiris iuuenem tinctis Lentine capillis
Tam subitò Coruus, qui, modò cygnus eras.

Auditor ? quàm longè conuenientiùs id, in Animas eorum cadit, & iactari potest, qui culpam mortiferam, perpetrantes peccatum contraxerunt. Tam subitò Dæmon, qui modò Diuus erat : primò te velut Deum alterum conspeximus, iam verò, heu quantum mutatus ab illo ! alterum Dæmonem, & lucis beätæ perdam videmus. In legenda S. Macarij est, quòd puella quædam ludibrio Dæmonis, oculis hominum appareret similis Equæ. liberata tandem à sancto & formæ restituta pristinæ. Auditor peccatum est magnus Dæmon vt ait S. Basilius, sicut ergo Dæmon transfigurat homines illudendo oculis humanis, ita peccatum in faciem Animæ peccatoris, inducit turpissimam formam, & Dei imaginem suâ permutat, adeò vt si intueri eam coram liceret, non Dei similitudo ad quam condita est, sed Orcinus quispiam verna, crederetur. Cuius veritatis stimulus quemlibet adeò hominum vrgere ad detestandum infelix peccatum debet, vt illud ex mente sapientis, plus cane & angue formidantes, à facie sua fugiamus, tanquam à facie Colubri. Philosophicum est axioma : contraria iuxta se posita magis elucescunt. vnde quàm speciosa sit Anima Hominis omni vacua peccato, Cælum pono serenissimum, ciuitatemq; illam in quadro positam sedesque beätorum, vbi : Portæ nitent margaritis, Muri fulgent Chrysolitis, Fora sunt Crystallus, plateæ ipsæ, Aurum mundum nimis, sordes nullas ferunt ! E contra Anima subiecta peccato qualis ? tenebras inspice exteriores, clibanum gehennæ ardentem, caminum ignis horrendum

Peccatū mutat nos & facit Dæmoni simi-les formâ.

Antonide Vercell: Serm. 45.

Eccl. 21.

dum, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror terrorque inhabitat. Iam amabo te considera quàm tetrum & turpe sit peccatum, quod Cælum Animæ pulcherrimum, in tam tremendum vertit Erebi & tenebrarum ergastulum, de quo vt canit Ecclesia nulla est redemptio ! O execrandum lepræ genus & seriò expauescendum ! Noli igitur amabo noli imaginis Diuinæ luci, has tam abominandas adsciscere tenebras, caue vel ipsam adeò lepræ adeò exitialis vmbram, horresce Metamorphosim inauditam ! Mallem, inquit S. Anselmus, purus à peccato gehennam intrare, quam sorde pollutus cœlorum regna tenere.

Anima Iusti cælo, peccatoris verò simi-lis Inferno

in Ps. 85.

Non est inuentus qui rediret &c. *Luc. 17.*

Verificatum est Apophegmaticum illud hodie : beneficium citissimè senescit. En Christi gratiosa dignatio decem à lepra mundat, vel ipso ocyùs Elizæo Naämanum purificante, & vix vnicus iste, iste Samarita, actum gratias rnuertitur. Et nouem vbi sunt ? Certè etiam nostrâ memoriâ quod olim Rex Ierusalem, de stultis, pronunciari de ingratis sine injuria omninò potest, ingratorum infinitus est numerus. Non hilarem datorem modò hominem, sed etiam largitorem bonorum omnium Deum, qui dat omnibus affluenter & non improperat Iacobi *cap. 1.* deserunt ingrati, nec alio vnquam digni piaculo, quàm vt Diuinæ largitatis beneficia ab ijs tollantur. Prosequor sordidam Animi ingratitudinem. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Eccl. 1.

Non est inuentus. *Luc: 17.*

NOsti quæ in vnum Iudam benignissimus Dominus noster contulerit beneficia ? nôsti nullus dubitò. Sed quid gratitudinis ? audi tantisper de suo loquentem Patrono & Magistro & intelliges, quàm gratum sua effecerit tam effusa in eum miseratio : quid vultis, inquit, mihi dare & ego eum vobis tradam ? At placetne fratres Iudæ in digitos ducere omnes ? non sufficies ; ingratorum, vt præfatus sum, infinitus datur nume-

Iudas ingratorum archetyp.

 rus

tus ! Sancta Virgo Catharina de Senis, Andream fœminam aliquam ſic dictam abominabili leprâ exceſam curabat humaniſſimè, magna ſanè charitatis teſſera leproſam fouere, imò eidem ſtare virginem ſanctam ad obſequia ! verùm quæ animi grati ſignificatio ? terribilis omninò ! auſa eſt ingratiſſima mortalium inſontem hanc & ſanctam Animam neſcio cuius turpis culpæ imò ſceleris infandi, fornicationis inſimulare. Hinc Alciati refricat mihi memoriam lepræ quam iunior fugit lupus querelam eleganti narrantis verſu ſed cogitatu elegantiore.

In vita eius.

Capra lupum non ſponte mea nunc vbere paſco,
Quod malè Paſtoris prouida cura jubet.
Creuerit ille ſimul mea me poſt vbera paſcet,
Improbitas nullo flectitur obſequio !

Dicat S. Botuidus Martyr gratitudinem Sclaui illius, quem à captiuitate redemptum, ad gratiam baptiſmi reduxerat, & libertate donauerat, imò reuertentem in patriam, ſecuritatis causâ, per Gothiam, magna charitate, deduxerat. Dum enim quieſcendi gratiâ, vir ſanctus, in itinere, ſub quadam arbore obdormîſſet à nefario Cliente, parricidali vulnere, peremitur.

Ingratus Cliens Patronũ occidit.

Improbitas flexa eſt heu ! minùs obſequio !

In Patr. Regni Sueciæ.

Ariſtoteles in Ethicis ait Athenis alia templa foris, Gratitudinis verò infra muros habuiſſe, quia vix iuiſſent eò ingrati. Adeſdum Martyr Sanctiſſime Ignati, leopardorum tuorum, militum, quibus tu faciebas optimè, refer viciſſitudinem, quam tibi ingrati retulerunt. Adſis ſi licet, etiam tu, Auis Palamedis & longo tuo, quod geris collo, teſtare lupi, ex cuius ore pertinaciſſimè herens gutturi, os eduxiſti, gratitudinem. Sufficiat tibi, ajebat ille, quod ex ore lupi ſaluum caput exemeris ! Communis eſt illa in ingratos vulgò auditû facilis paræmia : Ingrate Cucule ! ferunt enim eos Parentum, vbi ſenuerunt fieri occiſores, quod etiam de Braſilis multi Societatis JESV ſcripſerunt. Auditor ! turpis Nota Filiorum ſi Parentum edant carnes, imò ſi alendis eis deſint in ſenecta vberi. Brigelius memo-

Æſopus.

Ioſeph Acoſta.

memorat Sanctæ Virgini duodenni Birgittæ aliquando viſus eſt inſpecie recens paſſi, & multis affecti vulneribus & plagis Chriſtus Dominus ; cui puella ſancta : & quis te ô Bone ô dulcis JESV mi ! quis conuulnerauit adeò ? Meæ charitati (inquit Chriſtus) & dilectioni homines ingrati hæc fecerunt. Vbiuis gentium querelæ contra ingratos, proinde tantis Dei obæratus beneficijs, damna vitium toti exoſum orbi, teq; gratum, quibus par eſt, Samaritæ hodierni manuductu exhibe, nam commendatus eſt imò probatus quem etiam Deus carnem noſtram indutus Euangelicè commendat ! Ad Maiorem Dei Gloriam.

Serm: Dominæ in Albis.

Chriſtus ipſe queſtus contra Ingratos.

DOMINICA XIV. A PENTECOSTE.

Hæc omnia adicijentur vobis, *Matth.* 6.

Filij hominum vſquequo graui corde ? vt quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium ? Pſal: 4. Regis Dauid erat allocutio, quâ inſipientes quoſdam affatus ad ſaniorem reuocabat ſollicitudinem ! An ſimiles hodie affatur Chriſtus ? quærite primum regnum Dei & Iuſtitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis ? Non dixit dabuntur, infert os Aureum, ſed adijcientur, vt ſcilicet diſceretis eorum quæ in præſenti dantur, nihil eſſe omninò magnum, ſi futurorum magnitudini comparetur. Hinc facilè animaduertimus omnia præſentia mundi blandimenta noſtri tot, ſolita emi, curis, non eſſe niſi mera adiectiua & additamenta id quod. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Hæc

Hæc omnia adijcientur vobis. *Matth. 6.*

NOtissimus est passim Apologus, quem Phryx ille refert fabulator. Mercurium aliquando, quanti apud homines haberet nosse cupidum ad statuarium diuertisse, vbi visâ Iouis statuâ pretium ab eo, quo esset soluenda inquisiuit: illo verò centum exigente argenteos, tacitus aliquandiu perstitit. Tum ad statuam Veneris intento digito quanti veniret, rogauit; cui Statuarius: quinquaginta facile meretur, ait. Interim & suam intuitus effigiem quæsit ex artifice, quanti constaret. at Statuarius, si inquit, priores duas emeris hanc lubens tertiam addo. Auditor qui scisse expetit, quanti æstimanda vana sint, omnia, ea ipsa interroget, expertis credat, vnanimi enim loquentur veritate, nec dissentient à sententia eius à quo Esse acceperunt: primùm regnum Dei & Iustitiam eius quæsiueris, nos omnia ecce additamenta ædijcientur tibi. Vidisti aliquando in nundinis & foro, maximè verò Autumni tempore quo hortenses opes & fructuum collectio regnat, aduehuntur poma, pyra, pruna, & id genus plurima, diuenduntur aut ad numerum computata, aut certi pretij dimensione æstimata: interim vt emptores sibi conciliet animetque emptores, vltra numerum aut dimensionem non nihil adijcit vendens, hæc aut similia fatus: En tibi additamentum. Similia repures transitura omnia, hæc enim velut additamenta jacit in sinum eorum omnipotens, qui ab eo æterna illa & beatitudinem spectantia efflagitant, id quod facere credendus eâ videtur intentione vt aduertere possimus quanti apud eum fiant, æterna præ caducis, & duratura præ fluxis, subsistentia præ accidentibus;

Mercurius ab artifice statuario illusus.

3. Reg. 3. Salomoni quondam à se ad petendum quid vellet, stimulato, & omissis quæ in amoribus cæterorum aut hominum aut Regum esse assolent, veram expetenti sapientiam pro regendo populo suo dicebat: quia postulâsti verbum hoc, & non petisti tibi dies multos, nec Diuitias, aut Animas inimicorum tuorum, sed postulâsti tibi Sapientiam ad discernendum judicium,

judicium, ecce feci tibi secundùm sermones tuos, sed & hæc quæ non postulâsti dedi, tibi diuitias scilicet, & gloriam! Auditor! animaduertisne quanti æstimet Deus diuitias aut gloriam? addit hæc petenti Sapientiam, adijcit postulanti cor docile & Iudicium, nimirum gloria mundi cum diuitijs additamenta. 3. Regum cap: 3.

Varia sortiri nomina solet additamentum à varijs; namq; Iurisconsulti vocant accessorium, omne illud, quod pertinet ad principale, Theologi concomitans, Philosophi Accidens, Grammatici Adjectiuum, Morales additamentum. Amabo te nonne hæc nostrâm coärguunt insipientiam, quòd tam sollicitè curemus ea? cui conceditur principale, conceditur & accessorium, id quod veritas æterna & Sapientia inculcat: quærite primùm regnum Dei, & Iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis, Accidens potest adesse vel etiam abesse, sine subjecti corruptione inquit Philosophus, Adjectiuum per se non potest esse in oratione, sine substantiuo docet Grammaticus, quid igitur magis horum, nos fatigat cura & sollicitudo? *Philip. 3. c.* Doctor Gentiū ajebat: Omnia arbitratus sum vt stercora vt Christum lucrifacerem. Auditor quàm Sapienter istud? voluit meo quidem arbitrio ostensum, reliqua omnia, lucrifacto Domino, esse mera simul ac verissima additamenta siue vt vocant, complementa. Putem illam Ascalone, mille dignissima Encomijs, incarcerati Mercatoris vxorem, de qua Salianus de Amore Dei *lib. 6. cap: 18.* id ponderâsse non mediocriter, vt quæ oblato rei nefariæ pretio, Dei Iustitiam, & Auro pudicitiam ante habuerit, auri thesauros miraculô insigni accepe-rit, nempè quærenti Iustitiam adjecit non postulata DEVS! Nec me contineuero quin D. Chrys. repetam auream sententiam:

Additamenti acceptio varia.

Philip: cap: 3.

Salianus lib. 6. c. 18. de amore Dei.

Non dixit dabuntur, sed adijcientur, vt scilicet disceretis, horum quæ in præsenti dantur, nihil esse omninò magnum! sunt magna sed additamenta, sunt inquam magna complementa & adjectiua quæ per se non subsistunt, accidentia quæ omninò abesse citra nocumentum nostrum, penitùs magis, quàm adesse, possunt! S. Basilii in Psal. 4.

possunt! Nomen quidem, habent, rem verò ipsam non habent.

Seruire Deo & Mamonæ. *Matt.* 6.

Maledicti qui declinant à mandatis tuis Regis Prophetæ,
Psal. 118. edictum est. & alterius *Ierem.* 17. *cap.* Omnes qui te
derelinquunt confundentur, recedentes à te in terra scribentur,
quoniam dereliquerunt venam Aquarum viuentium Domi-
Psal. 50. num! & meritissimè quidem confundendi, recedentes à Do-
mino, magna enim & multa est dulcedo, quam abscondit ser-
8. Ioan. 5. uis suis, adeò, vt bonum sit omni portanti jugum eius suaue,
cùm interim Mamona & in maligno positus mundus, præter
quàm quòd ducat in perditionem, malè habeat tractetq; suos.
vti mox ex dicendis patebit. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Seruire Deo & Mamonæ. *Matt.* 6.

FLebilis Historia si penitiùs introspiciatur, Prodigi Euangelici
est, quid enim? ô quantum, ab eo exigit, obsequiorum,
Mundus! quàm pressius officijs. porcos siue iuxta Augustinum
Dæmones pascendo, ancillatus est, postquâm adesis, opibus
Seruitus Mundi grauis. & portione acceptâ recessisset à patre! o famem m̃picam, cu-
piebat enim saturari porcorum siliquis, & nemo dabat ei,
Luc: 15. ô immittem Dominum! Hem vobis sæculi huius filij
& Mundi seruitores tractamenta delicatissima! Si verò Mamo-
næ præmia impensæ eidem seruitutis arrident, Epulonem adi-
te, Epulabatur quotidie splendidè, induebatur purpurâ & bisso.
seruitus iam præmium? nulla dies sine linea, quot diebus
Epicuri de grege porcus, vacare Epulis, vacuare lances, vina
coronare & magnos crateras, nisi quòd tandem sepultus sit in
inferno *Luc:* 17. Idem Epiphonema magnus ille Patiens reti-
Iob, 21. quis olim *Iob.* 21. *cap.* scripsit mundanis: ducunt in bonis dies
suost & in puncto ad inferna discendunt. subscripsit & Melli-
fluus Doctor? Amatores mundi ederunt & biberunt & in pun-
cto ad infernum descenderunt. Mitiora nobis interim vt spe-
ro Hermannus Hugo pro impensis Mundo obsequijs dabit
lib. 1. *gemit* 3. Animæ, quam Molendino adstrictam & flagris
addictam

addictam continuis illa *Psalmi* 24. efflentem perquàm apposi-
tissimè inducit: vide humitatem & laborem, meum; & metri-
cè. Aspice & in pœnas mitior esto meas! *S. August: in Psal-
mi* 36. Molendinum puto dictum mundum istum; qui rotâ
quadam temporum voluitur, & amatores suos conterit. Ecce
delicias illius, certè esto patria nostra annis præsentibus 1667.
& 68. à molendis frugibus pendat stipendia, mitiùs tamen se- Molendina in silesia.
cum, quàm Mundi amatoribus, quos conterit, agi putem, verè
enim in circuitu ambulant nec proficiunt. At at reclamantes
mihi audio, non tam effflictim amores mundi & Mamonæ com-
bibo, vt penitùs immemor Domini mei IESV reddar, sed æui
currentis stylum obseruans, nec diuitias temno, nec oblatos
respuo Honores, cum cœteris. Placet ingenium. sed non pe-
riculum: Lata est via, quæ ducit ad perditionem & multi qui Matt. 7.
intrant per eam *Matt.* 7. nemo potest duobus Dominis serui-
re inclamante Rege propheta *Psalm.* 2. seruite Domino in ti- Psal. 8.
more & exultate ei cum tremore. Nostin illam ad Salomoni
cum tribunal meretricem? meministin verbi illius? Diuida-
tur. 3. *Reg.* 3. sancto entheatum audi spiritu 3. *Reg.* 18. Eliam, 3. Reg. 3.
vsquequo claudicatis in duas partes, si Dominus est Deus, se-
quimini eum, si autem Belial sequimini illum. audi sis & ipsis-
simum Dominum *Matt.* 4. tentatori respondentem: scriptum
est Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli serui es. Occur-
rit hîc animo quod apud Antonium de vercellis reperi. In
vitæ manifesto constitutus periculo seruus Domini, sui implo-
rabat opem dicens: cur Domine mi non ad juruas me qui ti-
bi fui semper carus & fidelis? cui Dominus: multa certè fili
expenderem si te liberare possem. Ergo, inquit seruus, nemo Anton: de
est qui adjuuet? imò ait Dominus eius: Deus omnipotens Vercell.
iuuare te potest. Hilaris inde exclamat servus: illi igitur ser- lib de 12. Mirab: 21.
uire cupio, illi me totum animitùs committo. Fælix qui agno- Fidei Ser-
uit Dominum adjutorem suum, vana enim salus hominum, mon. 34.
vana Mundi & Mamona omnia, vana, vana, vana! Mirabile Psal. 107.
aliquan-

aliquando votum erat, Regum ſapientiſſimi *Prou. 30. cap.* Diui-
Luc: 14. tias & paupertatem ne dederis mihi; ſed tantùm tribue victui
neceſſaria. an ſeruire Diuitijs timuit, ne ſeruiret paupertati, &
contra? neſcio ſanè quid reſpondeam, hoc ſolùm noui, diuiti-
as & paupertatem ſi hæ & illa Auaræ fuerint, ſapere viam illam
latam à Chriſto dictam, quæ ducit ad perditionem. Certè ob
quinque juga boùm æternis excluditur nonnemo nuptijs, &
propter ampliùs, non ſinuntur plurimi emere pretioſiſſimum
Margaritum, Cælum. Quid? fuit qui in extremis Auro gra-
uem reſerans Arcam mox euolaturæ de corpore Animæ dice-
Diues moriturus Animam Diabolis commendat ret: Ecce anima (inſtar illius *Luc: 12. cap.*) habes multa po-
ſita in annos plurimos, quin tu mecum vltrà frueris? at ſu-
premo iam vrgente ſpiritu, tremendùm iſtud effatus: cùm ergo
nolis vltrà manere mecum, vade ſis, ego te mille Dæmonum
commendo; tam atrocibus Animam commiſſarijs tradidit.
Ant. Vercel. de 12. niſi S. Fidei Heu quàm lata via Diuitiarum! Heu Mamonæ præmia terribi-
liſſima! Verùm fortaſsè expectamur, vt Dei ſeruorum contra-
riam fælicitatem & lætiorem exitum, noſtra ennarret diſerta-
Gen. 18. tio? faxo breuiſſimis. Prototypon eorum *Gen. 48.* putem ad-
Matt, 25. umbratum in Ephraim, ante Manaſſe tranſpoſitis in Crucis mo-
dum Aui manibus conſtituto. Ad tribunal Domini tremen-
dum, oues à dextris illius locandæ, etiam ſeruorum ſuorum ſit
paradigma. Denique filij Iſraël eſto in domo ſeruitutis capti-
Exod: 10. ui, tamen miraculo non vno conſpicui, puta dum Angeli per-
cutientis cædem, & palpari natas tenebras, ad omnium ſtupo-
rem neſciunt, quid amet pro ſuis agere Deus, plus ſatis, com-
monſtrant. Si verò & Solinus de mirabilibus mundi compla-
Solinus cet, Sirenas cum Cygnis conferto, hos ſeruorum Dei, illas ſer-
uorum Mamonæ, & mundi vmbram, vocales illæ in omni vi-
ta, mutæ in interitu, hi contrà in morte lætiſſimi. An huius
inſigne Exemplar D. Hilarion, verus ille Cygnus, diſplicebit?
proximus morti & ipſe tibi Præfica: Egredere, inquit, quid ti-
mes? egredere Anima mea quid dubitas? ſeptuaginta propè
annis

annis ſeruiſti Chriſto & mori times? Hæc eſt Dei ſeruorum mo-
rientium in Domino ſuo vox! Tu Auditor pie, maturiùs iudi-
ca cui ſeruire præſtet! aut certè traducem D. Mauritium The-
bæa in legione Ducem accipe. O quàm pulchris quondam
verbis glorioſus hic Martyr, commilitones ſuos Chriſti ſeruitio Ex Hieronymo.
& extremo obſequio adſtrinxit fatus: ſpopondi Cæſari, mei
corporis vilitatem, nec tamen is cælum promittebat. Quid
Chriſto id ſpondenti faciendum eſt? ſi hoc potuimus Militiæ
deuotione promittere? Auditor, ſeruitutem nóſti & præmia,
vtri, vis, ſerui. Ad Maiorem Dei Gloriam.

De veſtimento ſolliciti. *Matt.* 6.

Indiarum populos memorat IESV Socius R. P. Drexelius,
ſolitos pro veſtimento multicolores Auium plumas circum- Indi plumis auiſum veſtiuntur.
dare ſibi, illiſque nuda corporum integere. Quod hi po-
puli fortaſſis inopiâ panni & lacernarum, hoc Chriſtiani ex
abundanti & damnabili faciunt ſuperbia. ita quippè veſtiunt, Drex: in Palæſt: Chriſt:
vt Dei patientiſſimam, in eo agnoſcere ſit, clementiam, quod
ſuſtineat, minas verò graues, quod non puniat. Contra tales
ergò, Ad Maiorem Dei Gloriam.

De veſtimento quid ſolliciti. *Matt.* 6.

Vt primùm ori, vetitam intulit eſcam noxialis pomi, huma-
ni generis Pater, & comitem ſuæ præuaricationis nuditatem Genes: 3.
ſenſit, folia ficûs in periſtromata conſuit, Dominus verò eum
paradyſi exeſſe juſſum Horto, vnà cum conſorte induit, vt eſt
in textu ſacro, tunicâ pelliceâ. Quàm degenerauit à veſte Hominem primum Deus induit pellicio.
primi Hominis modernus Homo! à veſtimentis parentum ne-
potes! iam pelliciorum & veſtis ouinæ, etiam veros filios agri-
colas pudet, iam ſtudijs veſtiendi, certamina creſcunt innume-
ra, adeò, vt nulla ſtatûs aut conditionis ratio paſſim obſerue-
tur. Diuo Petro *Matt. 26.* inficianti de Chriſti notitia & ana-
thematiſanti, quòd non nouerit hominem, dicebant quidam:
vere ex illis es, nam & Galilæus es, linqua tua manifeſtum te

facit.

**facit. Auditor, quod lingua, hoc faciebat aliquando vestimen-
tum, iam verò neutrum manifestat hominem,** adeò vt fine in-
juria dicas, quod de ædificatoribus turris Babel, confudit lin-
guas & vestimenta eorum. sed Dominusne ? putem magis su-
perbiam.

Elegans est Laurentis Lauredani *titulo vestes* cogitatus, su-
per illud Ecclesiastici, stultus vt Luna mutatur : voluit sibi à
Laured:Sylo. rer. Matre, Luna vestem comparari, at filiæ petenti respondit Ma-
ter: cùm toties mutari soleas ô filia, toties esset tibi mutanda
& vestis. O quot illos quibus idem rectè opponas, si enim ex
Eccl. 1. mente sapientis, stultorum infinitus est numerus, profectò eo-
rum potissimùm, qui de vestimento solliciti, vt Luna mutantur.
Fallax gratia & vana est pulchritudo ajebat *Prou. 31. cap.* Sapi-
ens. certè *4. Reg. 19.* fefellit Iesabel comptissimam, quæ ad in-
troitum Iehu in Ierusalem, depinxerat stibio oculos: vix enim
Prou. 31. eam aliquantum vsurpauit oculis, ece tibi præcipitari, eam ju-
bet per fenestram, vt conculcetur vngulis equorum ! nimirùm
in timore Domini, id quod subjunxit idem Sapiens, verus de-
cor & ornatus, mulier, inquit, timens Dominum ipsa laudabi-
tur.

Sanctam Catharinam Suecam refert vitæ eius scriptor, spre-
Panni viles uisi pretiosissimi. tis cum omni mundo muliebri vestimentis pretiosissimis, vili-
bus pannis indutam, ita in oculis hominum apparuisse orna-
tam, vt esset admirationi, nam panni eius viles videbantur pur-
Surius tom:2. purei. Nolim contrarium te latere in illa Apocalyptica *cap. 18.*
quæ ob elegantioris formæ & vestitûs jactantiam, edicto subia-
Apoc 18 cuit tam horrendo : quantum glorificauit se & in delicijs fuit,
tantùm date ei tormentum & luctum. nempè :

Sequitur superbos, vltor à tergo Deus !

Sequitur nimirùm de vestimento sollicitos, nam & qui in-
duebatur purpura & bysso, sepultus est in inferno *Luc: 16.* Et

Persius. Sunt apud infernos tot millia formosarum !

Illarum puta, quæ præter vestimentorum jactantiam nimio in-
indul-

indulserunt cultui corporum, Tertulliano de cultu fœmin.
6. cap. indignante : video quasdam capillum Croco vertere,
pudet eas etiam nationis suæ, quòd non Germanæ, aut Gallæ
sunt procreatæ. ita patriam capillo transferunt, malè ac pessi-
mè sibi auspicantur flammeo capite. Aut verò illarum de qui-
bus S. Hieronymus Epist. ad Læctam : Caue ne capillum irruf- S. Hieron.
fes & ei aliquid de gehennæ ignibus auspiceris. tremendum epist: ad
judicium, si capilli, si vestis, si cultûs nimij affectatio, gehen- Lætam.
næ sit ædificatio, ardoris sempiterni exordium!

Prodeat enim verò vnde vnde in medium Maria Comitissa
Campaniæ Francorum Regis Ludouici filia, Henrici verò Co- Matt Tympij Specul.
mitis Campaniæ, olim vxor Vidua. Adeò vestire amauit splen-
didè, vt nemo miretur, talem illi obtigisse, qualem referam, Examp:.
finem. In extremis posita Episcopum acciri fecit, qui tamen, Muliebrē munpum & cultum damnādū.
esto festinus adfuerit, tardè venit, quia admissus non est, iam
illà mortuâ. Videt interim rapinis patere omnia, efferri pre-
tiosissima quæqué & eijci, tandem ipsum adeò adeò nudum
Dominæ cadauer lecto excussum, subiecto volui instramine.
Impatiens moræ vlterioris tandem Antistes, vi irrumpit, & ec-
ce tibi nudum quondam Magnificæ corpus ! quo viso, ô vos
omnes exclamat, venite, cernite pompam nobilissimæ Comitissæ
Mariæ, videte illud delicatissimum corpus quanto dedecore
pudoris deuolutum est. Hæccine illa Maria ? quid ei pro
multiplici honore & gloria (videte) mundus finaliter exoluit.
Pape ! qualem scenam dedit luxûs superflui Amor ! quàm præ-
staret subinde Animæ cultui præ corporis ornatu Auditor, va-
care ! Considerate per immortalem, ô vani laciniatum, & ala-
rum amasij considerate lilia agri ! quomodo crescunt ! non Matt. 6.
laborant nequé nent, nec tamen Salomon coopertus est in
omni gloiia sua, sicut vnum ex istis *Matt. 6.* Videte lilium in-
ter spinas, nudum in Crucis ligno Dominum, etiamnum vobis
nimio cultui indulgentibus inclamantem auscultate : Diuise-
runt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sor-
tem.

tem recordare paupertatis & nuditatis meæ & me, in membris meis egentibus & nudis, quæ superflua tibi sunt, contege, operi. Ad Maiorem DEI Gloriam.

Psalm. 21. Trent. 2.

DOMINICA XV.

Ibat IESVS in Ciuitatem quæ vocatur Naim & ecce defunctus. *Luc. 7.*

A Celebri nomenclatura hodiernam Ciuitatem Naim id est pulchram, lubet mirari Auditor. Sed quid ita? pulchra ciuitas & moriuntur in ea! Imò effertur ex ea defunctus vnicus Matris suæ. cui verò bono? sunt qui asserant ideò elatum, quòd esset moris extra castra & muros sepeliri mortuorum corpora. Meâ autem sententiâ minimè, sed reor exportatus est, ne ex pulchra Ciuitate, id enim sonat Naim, non-pulchram, sed faceret coinquinatam & abominabilem. vbi enim pulchritudo, vbi locus decoris, absit mors & mortuus necesse est, non censetur pulchra Ciuitas in qua mortui. id quod Ad Maiorem Dei Gloriam.

Ibat IESVS in Ciuitatem quæ vocatur Naim &c. *Luc. 7.*

Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei *Psalm. 86.* dicebat Dauid, an hominis animam intellexerit, nescio; Christus quidem Apostolos suos *Matt. 5. cap.* nomine Ciuitatis insigniuit, cùm diceret: non potest Ciuitas abscondi supra montem posita, Augustino interprete, virtus fundata super insignem magnamque Iustitiam, qualem vtiquè in Christi Apostolis fuit reperire. Porrò tam pulcra Ciuitas Dei in quantam abiret fœditatem si vel

si vel vnicum intra se mortuum haberet animaduertere debemus, nam mysticè & conuenienter quidem de ea intelligi potest illud *Apoc. 21. cap.* non intrabit in eam quid coinquinatum. Sit igitur Naim Animæ pulcra Ciuitas, sit omni vacua mortuo Opere, quod illam coinquinare vel maximè consueuit. Inter mille varias plagas in correctionem duri Ægyptiorum Regis Pharaonis adhibitas, hanc cæteris sensibiliorem ad mouit Deus: non erat Domus in qua non jaceret mortuus *Exod. 21. cap.* Auditor! surrexit rex nocte, vocauitq; Moysen & Aaron nocte & ait: surgite, & egredimini à populo meo. Cornelius à Lapide: Verisimile est ipsum etiam Pharaònem tantâ strage perculsum, timentemq; pejora, surrexisse vt adiret Moysen, quem suauiter quiescentem domi suæ inueniens excitârit, dixeritquè surgite, egredimini! sed quæ motûs istius causa? vrgebant Ægyptij populum Israël de terra exire velociter dicentes: omnes moriemur. Pulcherrimum erat Regnum Ægypti, cui dominatus Pharao, quòd ergò tam frequenti mortuo fædatum viderit, doluit cum populo, nec enim erat domus, in qua non jaceret mortuus, Auditor. Anima est Ciuitas Dei & Regnum, peccatum verò morticinium est & Mors, anima enim quæ peccauerit *Ezech. 18. cap:* ipsa morietur, igitur omne opus mortuum exesse Ciuitate hâc gloriosa & Regno necessum est, non est intrà sepeliendum, sed eijciendum per pœnitentiam, efferendum per emendationem, de tam pulchra, vt est Anima hominis, Naim, vt carcinoma, vt morticinium. Abominabilem Ciuitatem præter mille varia, maximè facere solent Epidemia & pestis. Nemo enim tatem effectam & infectam, esto olim pulcherrimam, esto mille varijs mercantiarum diuitem Emporijs ingredietur, vsque dum cesset mala lues & infectio id quod facere, non nisi propriæ osor vitæ & salutis, facilè præsumpserit. Et Animam Iusti, quæ & sedes est sapientiæ, & Ciuitas Dei, nil æquè reddit odibilem, atque lethiferum peccatum, adeò, vt Rex Propheta exclamare non dubitet *Psal. 118.* longè à pec-

Ciuitas Animæ careat mortuo id est peccato.

Anima peccato obnoxia Ciuitas infecta peste.

catori-

Chriſtus ingreditur Iericho vt redderet pulchritudinem.

catoribus ſalus. En abominatio! en Chriſti elongatio! in male-
uolam Animam nõ introibit Sapientia. *Sap. 1. c.* Multis ea incidit
cogitatio, quid Chriſtũ ingredi fecerit Ciuitatem Ierichuntinam
vbi infamis ſceleribus morabatur princeps Publicanorum & alie-
no diues auro & ære Zachæus? Petrus Chryſologus: Iericho
Ciuitas ipſa eſt, quam IESVS Naue ſepteno tubarum clangore
ſubuertit. Sed quia Chriſtus venit ſaluare quod periêrat, ingre-
ditur Iericho, vt quod lex terribili vociferatione deiecerat, IE-
SVS clamore piæ prædicationis attolleret. Putarem interim,
tanti pace Doctoris ad meum propoſitum, ex eo fuiſſe ingreſ-
ſum, quòd Auarus iſte & multi æris gibbo preſſus, mortuus fue-
rit in Anima, iterum igitur, ſatis antè infamem, ſuperque abo-
minabilem Ierichuntem, obſcænauerit, cui non ſolùm à mor-
tuis reuocando, ſed etiam illuminando affatim Iuſtitiæ Sol &
author ſalutis ingreditur, vt tanto fœda Ciuitas mortuo, & no-
vo decoranda miraculo, nouam ſortiretur pulchritudinem.

Auditor, quàm vellem, id quod Melliflui eſt querela Docto-
ris, in viuo corpore, nullos habere mortuam Animam, vt verè
glorioſa dici poſſint de ciuitate, ipſis adeò diuiniſſimis, condi-
ta, manibus. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Ecce defunctus. *Luc: 7.*

DEVS bonè! de Ciuitate pulcra effertur defunctus. Ibat IE-
SVS in Ciuitatem quæ vocabatur Naim & ecce defunctus effe-
rebatur. Itane? etiam pulchræ ciuitatis emoriuntur incolæ?
Mors eſt vbiquè. mors æquo pede pulſat, Regum turres, paupe-
rumque tabernas. quid paradyſo pulchrius? quid voluptatis
domo iucundius? illic tamen protho-plaſti noſtri mortem pri-
mam inuenerunt! Quàm bellè illa Dauidi locuta eſt *2. Reg: 14:*
Omnes morimur & quaſi aquæ dillabimur in terram quæ non
reuertuntur. Stratonicus, Vrbem Mileſiorum ingreſſus vbi no-
mina exterorum in ſepulchris conſpexit, heus, inquit puero,
fugiamus, hîc enim ſoli exteri moriuntur! imò omnes etiam
Naim incolæ quaſi aquæ quæ non reuertuntur. Ecce defunctus!
vnicus

Athenæ lib. 8.

nicus matris Viduæ filius! nimirùm alienæ conſideratio mor-
tis, exemplar morituris ingerit & mortis recordationem. Quod
expendo Ad Maiorem Dei Gloriam.

Ecce defunctus. *Luc: 7.*

Moueri poſſet quæſtio ex lectione Euangelica quo morbo aut
mortis causâ filius iſte vnicus ſit mortuus? at nolim cautos aut
curioſos reddere, qui me audiunt; Igitur non dicam ex eo fi-
niſſe vitam ætate tam floridâ, quòd Homo fuerit quaſi flos egre-
diens *Iob. 14. cap.* ideòque contritum & fugiſſe velut Vmbram.
Non dicam ſtatutum hominibus ſemel mori, adeòque & illi.
mortuus eſt hâc in ætate, vt eſſet in exemplum coætaneis ſeſe
vix credentibus tam florente, vt eſt iuuentus, æuo morituros.
Aduoco *Iob: cap. 7.* dicentem: viſitans ſpeciem tuam non pec-
cabis, ſiue vt alij, non errabis, quaſi dicat: quid tui ſecurus im-
minentem in horas mortem non expectas? ecce defunctus v-
nicus, ecce iuuenculus, ecce baculus domûs, & fulcrum con-
fractus eſt, & corruit. quem ſi penitùs in te ipſo conſideres, te
illi æquipares, redderis cogitabundus, nec immemor, facilè
mortis viues, quàm in tui ſimili proximo miraris! Deflebat
aliquando incurios in hac parte Rex Dauid *Pſal. 72.* non eſt re-
ſpectus morti eorum ideò tenuit eos ſuperbia. D. Hierony-
mus myſterium aperit fatus: non cogitant de morte, ideò ſunt
ſuperbi. Benè eſt. ergò qui non cogitant de morte, quâ paſ-
ſim omnes alios dietim rapi conſpiciunt ſunt ſuperbi, ſecuri per-
petrant omnia, quaſi poſt mortem nulla foret pœna, nulla re-
ſtitutio. Quàm igitur bona eſt proximi mortis conſideratio,
quàm commoda memoria, dic enim à contrario: qui cogitat
de morte non ſuperbit, ſemper eſt pauidus, adeòque facilè con-
temnit omnia moriturus. Non illi rapinæ, non vſura placet,
non cætera id genus ſexcenta. Hæc cogitatio ſalutare quod-
dam eſt amuletum, aduerſus quodcunque peccatum.

In domo Voluptatis vbi peccauerat Adam, expulſurus eum
vna cum complice Deus: fecit eis tunicas pelliceas *Gen. 2. c.*
fece-

S. Baſili: hom. 11. hexam.

Fecerant illi ſibi antè periZomata de folijs ficulneæ, quid eſt porrò quòd eos tunicas induat pelliceas Deus ? fortè an ne frigeant ? Theodoretus: decebat, inquit, vt peccator ſe talibus veſtimentis indueret, quæ eſſent inſignia ſuæ mortalitatis. induit ergo eos pellibus ouinis, vt recordarentur & ſe pellem daturos, mortuorum accipiunt ouium tunicam, errantes aliquando ſicut ouis, quæ perijt, morituri. Amabo te, cùm tunicas pelliceas noſtri Parentes induerint, quæ ſibi forent ſignum & monumentum futuræ mortis, an qui apud nos pellicea geſtant, eis induti maximoperè mortis recordantur ? Sed habent prætet pelliciatos Ruticolas, & qui mollibus in domibus etiam Regum veſtiuntur ſua mortis monimenta: dum enim eis ſe exuunt, exuendos vitâ Regali, Pontificiaue meminerint, dum alios veſte ſpoliant, & ſe mortis fore ſpolium in animos inducant. Quid ? gladius ſocij tui niſi te mortis moneret, vas mortis ineptè diceretur. Ecce defunctus, at gladio transfixus à ſocio, en effertur vicinus, ſed ſagittâ caſu à quo neſcio emiſſa, ſauciatus. en ſepelitur Hæres ſed ab inuidis ſericio funiculo ſtrangulatus ! Dominus, at ſerui manu enectus ! Magnanimum Dauid Regem ſenio confectum non caluiſſe etiam cum operiretur veſtibus *3. Reg. 1.* ſacer textus memorat: Et Rex Dauid Senuerat, habebatque ætatis plurimum, cumque operiretur veſtibus non calefiebat. Elegantem rei cauſam legi, quia æmulo ſuo Regi Saul oram chlamydis præciderat. Sed quomodo Rex intra veſtimenta, vel potiùs mortis futuræ monimenta caleret ? vtique ſibi ea dicebant: & tu morieris, qui mortuorum animalium lanas pelleſq;, caleſcendi gratiâ adhibes: ille ergo à mortis recordatione profectus timor, efficere, ne caleret, putem, omninò, potuit. Liber Moyſis à Genealogia Patriarcharum clariſſimus, hæc identidem, dicta cuiuſque ætate, (æpiùs ingeminat : vixit, & mortuus eſt. Auditor quam pulchra Cathecheſis ! vixit: & : mortuus eſt. vixit ſicut viuis, & mortuus eſt. Ita de te cogita, morieris vti mortuus eſt proximus, vicinus, cognatus,

Tunica pellicea memnoſyno mortis.

DauidRex opertus veſtibus cur friget ?

gnatus, frater tuus. Hinc ſapienter Ægypti Reges ad epulas & conuiuia hominis mortui caluariam præferri aut Imaginem pictam defuncti iubebant, nempè proximi mors memoriam futuræ noſtræ mortis refricabit. Certè Dux Brigenſis Boleſlaus Feria 3. Paſchæ tredecim pullos gallinarum abſumere potuit, viuere vltrà non potuit. Cneus Bebius Pamphilus vir Prætorius cum horas, quæreret ex puero, mortis horam inuenit. Hadrianus IV. Pontifex Anagniæ in frigida muſcam & mortem bibit. Carolus VIII. Galliarum Rex Amboſiæ ludentes pilâ ſpectans obit. Lucia M. Aurelij Imperatoris ſoror acu à filiolo læſa expirauit. Columna Cardinalis ficûs edendo mortuus eſt. Manlius Torquatus placentam in menſam prehenſans eſſe & eſſe deſijt ! noſtro æuo intra choreas dimidio perductas cubiculo ſaltatòr è vita exilijt ! Et non hæc proximorum exempla mortium, ſunt vtilia morituris exhortamenta ? ità ſanè, omnis defuncti, qui effertur conſideratio, Iacobinum illud cordi & animo ſenſatorum ingerit : Iuſtum eſt igitur vt aliquando prouideam etiam domui, imò Animæ meæ *Gen. 30.* Ad Maiorem Dei Gloriam.

Varietas mortium.

Efferebatur. *Luc: 7.*

Honorificè aliquando Mulier Seraptana Eliam filij ſui ſuſcitatorem celebri hoc extulit Elogio *3. Reg. 17.* Nunc in iſto cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbum Domini in ore tuo verum eſt. At hodie ipſum illud verbum quod erat in principio, & qui locutus eſt per os Sanctorum qui à ſæculo ſunt prophetarum eius, Naimiticæ excitator vnici, quid retulit Encomiorum ? agnitus eſt Deus viſitans plebem ſuam. Verùm hæc aliàs, interim nunc nobis elati extra portam Ciuitatis huius defuncti erit conſideratio quid enim efferebatur, ſi tantopere comitatus deflebatur ? Ad Maiorem Dei Gloriam.

Mortuo Lazaro in Bethania apud ſorores eius Mariam & Mattham venerat JESVS *Ioan. 11.* occurrit Martha cum ejulatu & lacrymis fata : Domine ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet

S. Auguſt: tract. 49. in Ioann.

Mortui fætemus viuis. isset mortuis. at qui distulit sanare, vt posset resuscitare, vbi, inquit, posuistis eum? Et ibat ad monumentum. Soror Lazari videns hoc, ait illi, Domine, ecce quatriduanus est, iam fœtet. O fallaces amicorum animi, ò quàm sæpè lacrimas crocodili funditis! vnicè diligebatur, quatuor dies iacebat & ecce iam sorori suæ fœtebat! vnicus erat Matri suæ defunctus hodiernus & tamen efferebatur Iam D. Augustino, si alias quando, applauserim, mare magnum, Mundum hunc, cuius inquilini sumus, non habentes hîc manentem Ciuitatem, appellat. Mare omninò, & mari iniquior mundus, cum mari cordis nostri est, quod amantissimos ad tertiam diem efferre post mortem domo, ne fœtere cum Lazaro incipiant, consueuit. Mare quidem nono post naufragium aut diluuium die, quos hauserit, euomit, amici, suos, die efferunt tertio. Meliora interim no-

Extra portã effertur. bis charismata loculus, super quo efferebatur iste defunctus, extra portam à Christo tactus obtulerit. Eò videlicet portari debuit moruus, vbi vitam nobis Saluator, mortem, suâ, destruens morte, reparaturus fuit. Et nonne extra portam passus est, cui resuscitandus debebatur? D. Augustinus *lib. 9.* Confess: matrem suam sanctam memorat præcepisse sibi, vt ad altare Domini, sui faceret memoriam: mandauit nobis memoriam sui ad altare, vnde sciret dispensari victimam sanctam, quâ deletum est Chirographum, quod erat contrarium nobis, quâ triumphatus est hostis, computans delicta nostra. Efferatur igitur defunctus domo, efferatur extra castra, feratur in ligno vt viuat per eum qui redemit nos factus pro nobis maledictum, cùm penderet in ligno Crucis! At quanti sunt ætate nostrâ qui eò efferri, vbi spes vitæ, nolunt! miraris? multi dantur publici Decimarum retentores hodie, multi redditutum Ecclesiæ defraudatores, vnum eos solatur non est moris hîc, vt anathema-

Gen. 30. te publico, quod frequenter alibi vsu venit, fulminentur. Sanctus Patriarcha Ioseph diuino afflatus spiritu prædixerat suis, visitabit vos Dominus, asportate ossa mea vobiscum, id quod ter-

ram

tam promissionis optasse in tumulum intelligas. Mirabile dictu! nostri Acatholici tam potenter agunt vt à morte, eorum defuncti, in Ecclesia sepeliantur Catholica, quod passim eis, conceditur ex eo, quòd ante iniuriâ bellorum, iam plerumque Lutherani post mortem ingredi Ecclesias volunt.
omnes per Germaniam Ecclesiæ fuerint violatæ, similibus sepulturis, in vita verò in eas se conferre & Matrem sanctam Ecclesiam agnoscere detrectant, quasi filij Israël exhalâssent animas in sinu alienarum, & non in sinu Matrum suarum. *Thren. 2.* Verùm hæc alijs. tu Auditor vt olim fæliciter efferatis defunctus, nunc ipse Officio portitoris fungere, memorans nouissima tua, nunc lignum arripe siue loculum, domum ædifica de qua dicitur: Ibit Homo in domum æternitatis suæ *Eccl. 12.* Hîc solùm tibi superest sepulchrum. Iob. 17.

DOMINICA XVI. A PENTECOSTE.

Ecce hydropices. *Luc. 14.*

Vtinam omnes hydropici conuolassent hodie & essent ante illum, qui vnum hunc curauit. Sicut enim hydrops, Animæ, figurat, peccatis tumidæ, languorem, ita nec alium requirat necessum est Medicum, præter Dominum, qui amat Animas. *Sapient: 11. cap.* Adeste adeste patientes, iam medicus vestri amantissimus venit quærere, & saluos facere vos, qui perijstis, nisi sitis ante illum & sanemini, de quo. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Ecce hydropicus. *Luc. 14.*

Curatur hydropicus in quo fluxus carnis exuberans, animæ grauabat officia, spiritûs extinguebat ardorem inquit *S. Ambrosius*! An car-

An carnis dediti illicijs, & quorum Deus venter est hydropici?
Lib. 7. in Lucam. Equidem apud Euangelistam excusantem quendam se à Nuptijs audio similibus : vxorem duxi & ideò non possum venire. Philip. 3. Nimirum sanctum ardorem quo piorum incensa corda, omni se abstinent inquinamento carnis, exuberans eiusdem fluxus Luc. 14. extinguit, & Animæ officia grauat. Ferè in hunc modum quondam de semine seminantis discurrens Christus dicebat: aliud cecidit inter spinas, & exortæ suffocauerunt illud ; quod ipse pôst exponens ait: Hi sunt qui audierunt & à sollicitudinibus, & diuitijs, & voluptatibus vitæ, euntes suffocantur. O! quanti sunt! quorum ardorem spiritûs nimia voluptas extinguit, abundantia, sollicitudo opum, cupido diuitiarum? Bonus ardor spiritûs quem instillat Iustitia, commouet Charitas, vrget Dei Amor; verùm vt sensit eundem adesse Auaritia, mox extinguit, dum nec dare propria, nec reddere aliena, imò suadet concupiscere non sua. Miraculum illud sapientiæ Heraclitum, ferunt, hydropicus cùm esset, bubalo seuo perunctum, soliq; expositum, odore seui canum turbam aduocâsse eisdemque in Mors Heracliti lepida. prædam miserè cessisse. De quo ita nonnemo:

Seuo vnctus pereo, canibus deprensus odoris.
Post mihi Grammatici diphthongo scribite sæuum

Perunguntur oleo lætitiæ Auari vel seuo potiùs sæuo, dum colligendis inhiant diuitijs, dum hydrope languent & habendi vruntur siti, alternis irritati lucris, & lucri cupiditatibus adeò, vt!

Quo plus sunt potæ, plus sitiantur opes.

Ecce hydropicus. *Luc: 14.*

SVnt qui pedibus solis hydropici & ambulando inepti. Talis est Accedia cum prolibus, quæ officia Animæ Christianæ grauat, extinguit spiritûs, ad Diuina prompti obsequia ardorem. Hinc notoria quorumdam tarditas, desidia & podagra in adeunda Ecclesia, Missarum festis diebus audiendarum sub mortali, supina & damnanda quia voluntaria negligentia. Nil eos Christi

Christi mouet quæstio ; liceine Sabbatho curare ! rationes cum Accedia hydrope. seruis ponere, cætû subditorum cogere, primo mane, quod tempus est vacandi Deo, illique soli seruiendi potissimum, tributa & censûs annuos exigere ? Hinc illæ lacrymæ, lacrymis vltrà dignissimæ & excusationes in hoc peccato : non potui venire, fuit necesse fruges ad molendinum devehere, vrsit Imperium Domini ad milliaria multa, cum litteris abire, & sexcenta id genus ad excusandas excusationes commenta. O quàm lubens Boterus. iuisset Hydropicus ille Indus, ingredi nullatenùs potens, quem in somnis à Deipara edoctum referunt de JESV cruci affixo illa verba deuotissima:

Pater en noster, genitor noster,
Rigidis clauis in Cruce fixus,
Cor transfixum, cuspide Amoris. &c.

Hippotamum maligno hydropis humore laborantem, ad arundinem affricare pedem consueuisse memorant, & emisso tan- Hippotami medicina. dem qui grauabat, sanguine, persanari. Vt viam mandati huius tam seuerè iuxtà ac imperiosè præcepti, Memento vt diem Sabbathi sanctifices, currere vt bonus equus, ita addit quidam, nec piaculum saluti contrahas obnoxium, Christi, pro te sudantis, sanguinem, pende, illius cruci velut arundini, te ô piger! affrica, in siti enim, tui saluandi gratiâ, cucurrit; & vis pretium Psal. 68. eius, quod salus tua est, repellere?

Quod si Podagricos minùs ab Hydropicis distantes imitari per placet, cura te portari. Sed quæres à quibus ? Amor Dei leuiter vehit amantem, & leuiter equitat quem gratia Dei vehit. Th. Kemp.

Ecce Hydropicus, *Luc: 14.*

Sunt qui hydropem solis patiuntur in manibus subinde chiragrici ex eo effecti. Mihi interim, sensu alio, illiberales in Deum, & membra Christi; in sua, quæ ære comparant, desideria liberalissimi imò prodigi. *Exod. 35. cap.* Ex mandato Domini Tenaces hydropici. Promulgauerat Moyses vt offerret populus pro vasis sacris quidquid velet, auri, argenti, æris & aliorum ; & ecce ! tantâ

 mox

mox copiâ fecit populus, vt cogerentur artifices adire Moysen, qui offerri vltrà vetaret, plus enim oblatum est, quàm erat necessarium! Auditor, rari erant tunc chiragrici & hydrope manuum laborantes, modò verò non solùm ad rauim emorientes deficiunt, sed etiam sumptu, qui præsunt sacris ædibus, quibus reddituum sacrorum cura, ita lubentes, etiam ea, quæ sunt Iustitiæ, reddunt Deo, ætate nostrâ, homines. Eodem *lib. cap. 32.* habetur, quòd aliquando pro conflandis Dijs contribuerit idem populus animis promptissimis, ità vt fœminæ spoliarent se armillis, & inauribus aureis, de quibus in ignem iniectis, exiuit Vitulus. O quantos sumptûs impendimus vt conflctur vitulus, vt ornetur vxor, vt videamur ab hominibus in noua veste, & tibi Domine, de tuis donis ac datis, quid offertimus? scoriam & paleas, ramenta & Sordes!

Este ô malè hydrope pressi manûs, este ante Christum, date & dabitur vobis ô Auari! & dimittet vos sed non vacuos neq; inanes. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Luc. 2.

Obseruabant eum. *Luc. 14.*

GLoriosâ illa Bethuliæ seruatrix Iudith de qua *8. cap. libri illius*, tam decorum iuxta ac honorificum habet Elogium: nec erat qui loqueretur de illa verbum malum Est qui istud prodigio adscribat, ex eo quòd secùs faciunt homines, at viueret modò Iudith etiam continentissima, inueniret facilè calumniatores, Ita vtique comparatum est, æuo nostro, inter obseruatores, vt ne sanctis quidem parcant. Nimirùm sagaciores vmbro dantur homines & nasuti subodoratores, quos ne Sancti quidem effugiant. de hac eorum damnanda prurigine Ad Maiorem Dei Gloriam.

Iudith caruit obseruationib⁹.

Quàm Lynceos oculos dicam nostri æui obseruatores Auditor qui in ipsos adeò secretissimos penetrant recessus & adyta? vade mecum amabo Chronica visurus Ordinis Seraphici D. Francisci & credidisti. Ioannes Lobedatus iam inter beâtos fælix, dum à Beatissima Christi Matre toties illius colloquio perdulci

dulci esset dignatus, obseruatus à Fratribus de non sancta conuersatione suspicionem eisdem mouerat, & quod augmentum malæ faceret opinionis, etiam vagire intra cellæ penetralia infans Christus voluit, irrumpunt eo vagitu exciti obseruatores, & crucifixi, ad oscula Ioannis, statuam comperiunt. state fratres, cum Domino loquitur, de quo loquimini mala!

Infans Iesus vagit in cella.

De Sancto Conrado Placentino confessore apud Netinos fertur: cùm ab impijs vt obseruarent eum inuitatus esset, nec aliud die Ieiunij sacro apponeretur, nec ipsi itidem gustarent aliud, præter suillam; Vir Sanctus, inter eorum sanna & cachinnos, mappâ amotâ, ossa piscium, miraculo produxit! Posuerunt in cœlum os suum, at gratis iacitur rete ante oculos pennatorum an dicam Sanctorum? Beâtam Iuttam, refert Bsouius, ob nimiam in templo moram, apud maritum offendisse, suspicacem, cui à templo reduci, dum pisces coquere imperat, illa sartaginem, igni nimio candentem, manibus tractans nudissimis, & pisces ministrans calentissimos, bonus, inquit, Deus noli credere detractoribus! non est quod mittat Aurum & Lydium viro, quàm ipsus ignis excusat a culpa, probatum est cor, quod Deus miraculo commendat!

S. Conradus miraculo obseruatores suos confudit.

Legitur quendam, ab homine Nauci, toties proscissum, tabulam, sole Serenissimo picto, decoram, præ foribus domûs appendisse, cum hoc lemate Non maculor! Ita quidem tu benè, at maculas in Sole notârunt plurimi. & quod horreas magis, etiam hodie Solem Iustitiæ Christum obseruabant. Præterco vomeres Cunegundis, Briccij illæsum à prunis ignitis sinum, ad D. Franciscum Seraphicum eo. Visus erat aliquando in via longiore S. Pater Asello, quem frater secutus, cœpit apud se judicare dicens: non de æquali, huius, & meus Pater ludunt; volens indicare, se ortu cretum nobiliore. Non latuit ea cogitatio Sanctum, vnde Asello descendens ait ei: frater ascende, tibi enim, vt nobiliori, magis ac mihi, equitare conuenit! Coronidis loco hactenùs dictorum sit id quod Laurenti-

Pulchrum Emblema cuiusdam contra Zoilum.

In legend: S. Fransc.

renti-

rentius Lautendan. titul: Iudicium temarium, habet. Siquis videret, inquit, hominem ferri à Diabolo per äetem, quis non crederet esse scelestissimum, tamen scimus Christum asportatum ab illo super pinnaculum templi, assumptum in montem excelsum ! D. Gregorius *hom. 16.* cùm dicitur Deus homo, vel in excelsum montem, vel in sanctam Ciuitatem assumptus à Diabolo, mens, refugit, credere humana, hoc audire aures expauescunt. Expauescamus de suspicione aut loqui aut credere, nec obseruemus Lynces, ô talpæ ! in nosmet ipsos cœcissimi ! qui citò credit leuis est *Ecclesiastici 19.* Sed credulitas eius temeraria est, peccaminosa est, scelesta est. Dicat S. Ioannes Eleèmosynarius, cui de Vitale Monacho æquè Sancto multa, dicat inquam vel moriturus suum judicium. Sed quod illud expectatis ? nolite, inquit, ante tempus judicare. Nimirùm talpæ in propria, in aliena Lynces delicta sumus.

Laurent: Laureda: fylu: rerò prædicab

DOMINICA XVII.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. *Matt. 22.*

SEraphicus Patriarcha Diuus Franciscus, id quod, non sine ingenti stupore legeram, expiraturus, dextrâ suum vulnus lateris, quo insignitus erat, occludebat. Forte an ingredi quempiam in cor Deo plenissimum, timebat ? ita maximè. In quo Amor Dei est, semper cogitat, quando ad Deum perueniat, quando mundum derelinquat, quando carnis corruptionem euadat inquit August. *Manual. cap. 28.* Hinc monebat *Prou. 4. cap* Sapiens : omni custodiâ serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit, claudatur igitur (vt *Serm: 1.* de Anniuers. Dedicat, habet August.) Diabolo, & aperiatur Chtisto, claudatur mundo, & pateat Deo, nemo præter illum, cor nostrum inhabitet, quem ex toto diligimus, requires hæc, solius amari, & dilecti nobis sit, velut vnicornium ! De quo vt salubriter. Ad Maiorem Dei Gloriam dicam, Angelicâ salutatione Deiparam Virginem obsecremus.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde. *Matt. 22.*

Cœlestis Magister quondam *Matt. 15.* dicebat : de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ. Non licet nobis cum Domino disputare, nec ex eodem itidem quærere, quomodo exeant, aut exire de corde possint, nisi fortè inibi præextiterint suo modo ? Cor eorum vanum est vt ait *Psal. 5.* Rex Propheta, de quorum anima & corde exeunt prænominata & minus Deum (vt Augustinus fatetur) amat, qui secum aliud aliquid amat, ex Amantis Deum, corde, nec similia exeunt nec ingredi permittuntur. Vbi Deus, nihil mali ingreditur ! In descriptione infamis illius Lupæ *Ecclesiast. 7. cap.* dicitur Sagena cor eius. Auditor ! idem cense de cordibus eorum qui totali Amore non diligunt Dominum, Sagenam æmulatur, illam *Matt. 13. cap.* ex omni genere, concupiscentiarum, & sensualitarum, velut piscium, congregantem, plenum rimarum, cor eorum, vanum est, velut sagena fenestrata, aquis tam intrafluentibus quàm effluentibus peruia ! Hinc Elogium Sponsæ à dilecto in Canticis pangitur : Hortus conclusus soror mea sponsa, fons signatus, vt quæ ne flosculum quidem vnicum carptum inde velit, nullius ingressum patiatur, nullam nouerit hydriam, sed totum cor præbeat dilecto. Antonius de Lapenna in vita B. Margaritæ à Castillo memorat, sæpius dicere auditam & ingeminantem, ô si sciretis quid ego in corde meo gesto & retineo, à morte verò sua repertas intra cor illius refert, tres margaritas, IESV infantuli, Matris eiusdem & Diui Ioseph

Cor fenestratum.

Cor margaritiferum.

insignes effigie. quod cor suum amauit in vita, prodidit in morte Auditor! Si porrò, quod optauit in Dijs quondam Momus, per fenestram intueri corda quorumlibet daretur hominum, putas foret secùs ac tum, cùm fodere templi parietem iuberetur Propheta? *Ezech. 8. cap.* Certè erubesceremus gestare & retinere intra cor, quæ etiamnum occultamus, & cum Deo, cui soli totum debetur, amore cordis, diligimus! ô! quot in templo humani cordis maiores & maiores viderentur abominationes, & venenata serpentium genimina! Verùm solatio non mediocri esse nobis poterit. quod intra sanctissimi Martyris Ignatij cor, vel ipsa reperit Tyrannis! cum enim nimio Iesu teneretur amore, nec emori, in quo latebat vita, vllator mentorum vi posset, in minutissimas concisum partes aureis exaratum characteribus Iesu nomen protulit! O verè cedro & Auro dignum cor, cuius nulla pars Iesu vacat! Magnum aliquid intendebat Propheta Rex *Psal. 118.* gloriatus: In corde meo abscondi eloquia tua, vt non peccem tibi. quid enim eloquia in corde abscondita? numquid arcere incursus vitiorum valet omnium? imò maximè. Eloquia Domini, tutantur cor nostrum, diligentium nomen suum, & velut imperuios animæ sinus reddunt, dum impenetrabile cor, nec gladio peccati, nec angustia tentationis, à charitate Christi separari potest, lætum & securum sui, cum Apostolo occinens: quis me separabit à charitate Christi? non sum cor illius Salomonicæ inclamantis: Diuidatur *3. Reg. 3.* totum, me, do illi, quem diligit anima mea, tenui eum, neque dimittam. Auditor! vtinam de thesauro cordis nostri hæc bona etiamnum proferamus, Amorem Dei super omnia, vtinam hæc, nostro, Amor ille nostri amantissimus, stylo inscribat Diuino, & cor occupans Vniuersum, gloriari dignetur: Hic habitabo, hæc requies mea quoniam elegi eam. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Momi uotum singulare.

Cor Christi ferum.

Impenetrabis fieri poteris.

Psal. 131

Cuius est filius. *Matt. 22.*

Altitudo Sapientiæ Dei, ab insipientibus dignatus sciscitari hodie,

die, cuius existiment esse Filium, quem nemo nouit nisi Pater *Matt. 11.* & generationem eius, teste Prophetà, quis enarrabit? Sufficiat tibi Domine ex Discipulo testimonium *Matt. 16.* Tu es Christus Filius Dei viui. Ignorent Iudæi, lateat Pharisæos, nos Petri sequaces, millies, cantabimus: æterni Patris es Filius. Interim, in frequenti eaque plerumque dubia quæstione, in qua disceptatur de quibusdam ignoto genitis Patre, aut Nothis, quid reddendum rogantibus: cuius est Filius? Absit temerè judices, aut enim silentio prætereundum, aut Deo omniscio committendum. De quo Ad Maiorem Dei Gloriam.

Cuius est Filius. *Matt. 2.*

EXpostitios, vt multos ità passim ignotos esto Nothos, omne fert Regnum. vnde & fieri amat vt sæpiùs, insontes etiam & non infimæ Famæ Viri, temerarià Iudicantium perperam hominum proboscide, esto clàm, proscindantur. Verùm nisi Dauid gignat Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ, nisi Iudas Zaram & Phares de Thamar, caue diffamaueris aut pruritu actus linguæ dixeris, est Filius fortè huius. Margarita Scotorum Regina Sanctissima nouem similes à suis neglectos Matribus educabat, refert Surius, cibos ori ingerens, & quidem flexis genibus nixa, vt reuerentiùs haberi non possent; si vel cœlo lapsi fuissent. An & Patrum eorum nomina inuestigabat? minimè. Sed admirandam in Sancti Briccij magni quondam Turonensium Antistitis, D. Martini sucessoris, vita rem vt legi commemoro. Anno Episcopatûs sui vigesimo, mulier quædam deuota, & à lauandis vestibus sacris, Antistiti fidissima, occulta concepit ex fornicatione, & ignoto, filium, Patre, enixa est. Populus vt primùm isthæc fama sese infudit auribus, gregatim concurrit, & sancti fores lapidum, grandine, violenter impetit, cum iniurioso iuxta ac insolenti dicto: Diu tuam, ob Diui Martini antecessoris tui merita, luxuriem passi, tandem pollutas osculari manus execramur. Ad quæ innocens Briccius: afferte, inquit, ad me infantem. Dierum iam triginta primùm erat. Cui allato,

Ex Surio 10. Iunij.

Puer dierũ 30. miraculosè locutus.

allato, dic ait Fili, per Dei adiuratus Filium, num ego te genue-
Script: vitæ eius. rim? Et: dictu mirabile! dierum triginta infantulus, non tu,
inquit, es Pater meus! cumque vrgeret populus, vt detegeretur
Pater, quod meum erat feci, respondit sanctus Antistes; videns
verò vltra incredulam plebem, ignitos in sinum vestis carbo-
nes coniecit, & ad sepulchrum D. Martini deferens dixit: En
testem Innocentiæ meæ illæsam vestem hanc, sic à contactu
mulieris illæsum est corpus meum! Auditor in rebus cæteris
quæ cadere sub dubium assolent, est, iudicare graue, at in quæ-
stione cuius Filius sit? etiam tremendum! quid enim? nonne
Virgo fuit Marina illa, casto virilem induta vestem consilio?

Ausa est Hanc tamen, hanc suum Marinam,
Effrons dicere adulterum puella.

Inquit Iesu socius in Epigrammatis. Simile narrat S. Vin-
centius Ordinis Prædicatorum sermone de SS. Simone & Iuda.
quandam puellam secretò corruptam ab Amasio, quæ partu-
riens, sanctum & Virginem, SS. Simonis & Iudæ comitem, Dia-
conum infamauit, quod audientes Apostoli, recens natum in-
fantem Dei nomine inuocato, loqui fecerunt & verùm prode-
re Patrem. Hem quàm intricata quæstio! cuius est Filius?
certè nisi Thamar proferat armillam, annulum & baculum Iu-
Gen. 38 dæ, quibus recognitis conuinci possit, gratis dixerit: cuius hæc
sunt, ex illo concepi. Vnde pulchrè D. Ioánnes: iudicium,
Apoc. 20 inquit, sedit & libri aperti sunt, Amen.

DOMINICA XVIII.

Confide Fili, remittuntur tibi peccata tua.

Matth. 9.

QVàm Sapienter optimus Animarum Medicus,
prius originem & fontem infirmitatis, è quo ma-
nauit, ostendit, quàm ipsum ægri curet languo-
rem! Nimirum frustrà ægro medicamentum cor-
pori applicatur, nisi prior Animæ corruptela
reparetur. Paralyticum in lecto offerunt decum-
bentem, illæ, Animæ, peccatorum exanimatæ vulnere, mede-
tur, fatus: remittuntur tibi peccata tua, quorum culpâ, omnis
iste, quantus est languor in corpus redundat, teste Prophetâ
Psal. 38. propter iniquitatem corripuisti hominem, & tabesce-
re fecisti sicut araneam Animam eius. Verum tamen vanè,
inquit vltrà, conturbatur omnis Homo! quid ita? O quanti
sunt tam insulsi vt longè perquirant & inuestigent causas ægritu-
dinum, cùm interim palam sit, propter iniquitatem enim immit-
tit eas omnipotens! vt vel sic icti, serò sapere, nec deterius ali-
quid expectare, ab vltore peccati, incipiamus. Id quod ser-
mone præsenti. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Remittuntur tibi peccata tua. *Matt.* 22.

SEntentiam quam firmamus, puta hominem hunc ob sua lan-
guisse peccata, multi. D. Hieronymus V. Bæda, Os Aureum.
dicente Hugone de claustro Animæ: Deus multos atterit infir-
mitate, quos videt fortes & promptis ad liberè peccandum, vt
sic attriti, nequeant tot mala perpetrare. Quid porrò causam
quæris infirmitatis corporeæ, si te languentem sentis in Ani-
ma? eras fortis & promptus ad peccandum, en, ne possis vltrà, Remigius
corripit te Deus! imò misericors Pater! De Antichristi per An-
gelum bonum futura custodia, multi pulchrè disserentes, ajunt, Antichri-
ideò fore eius custodem, Angelum bonum, & sanctum, vt à stus habe-
multis sceleribus, illo dirigente, & monente sese contineat. Iam bit Ange- lum Cu-
verba Cardinalis expende: atterit Deus multos infirmitate, ne stodem.
tot valeant mala perpetrare, igitur custos eorum, & à malis
refrænans est ægritudo corporis. Et nonne Herodi super-
bia? Giezi Auaritiâ morborum ancilla? propter iniquitatem

corripuisti hominem! genuina ægritudinum Mater, peccatum. In coquum aliquis posterâ, à Conuiuio madidissimo, die inuectus aiebat: Hem serue nequam, tui causâ hodie caput, &
Coci veri loquium. interiora prorsùs omnia, doleo. Cui, humili voce, submissus coquinæ pastor: Non Domine mi, omnia examussim coctæ, elixata ad thombum omnia, sed insolentiæ vt reor domi tuæ permissæ, flagellum istud, manûs Excelsi, aduocârunt! Auditor etiam lixa inter Prophetas! ex Coco sacer Ecclesiastes! fingimus nobis mille varia, aduersæ valetudinis principia, interim è castro erumpunt læsæ conscientiæ! Et nonne Herodem superbia? Giezi auaritia malè habere fecit? est infirmitas corripientis propter iniquitatem Dei Summi instrumentum. Nouimus illud *Ecclesiastici cap. 37.* in multis escis erit infirmitas. Hinc Domitius Afer, Fabij Quinctilij Præceptor, Neronis principatu,
Exninimietate Cib mors. Psal. 13. cibi & carnium redundantiâ in cæna perijt. Childericus Saxo (vt refert Greg: Turonensis) cibo nimio infartus, in tecto mortuus reperitur. in multis escis infirmitas, quia in multis magna iniquitas, & ideò propter iniquitatem corripuisti hominem, qui deuorat plebem tuam sicut escam panis, vt lautè cænet, auget subditorum census, vt vinum hauriat abundè, exhaurit eos & compilat æs vnde vnde. Pulchram apud Hugonem, è IESV Socijs, infirmi peccatoris querelam audiamus, super illud *Ps: 6.* miserere mei Domine quoniam infirmus sum, sana animam meam quia peccaui:

Nempè graues, mea sunt, quas feci vulnera noxæ,
Vulnera trux Animæ carnificina meæ!

Infirmus sum quia peccaui, propter iniquitatem corripuisti hominem, peccata mea vulnerârunt Animam, & toto conscierunt corpori ægritudinem. Et languenti illi ad Probaticam piscinam annos triginta octo, quid cœlestis Medicus? Ecce iam sanus factus es, iam noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius contingat *Ioan. cap. 5.* Idem D. Franciscum memorat dixisse S. Bonauentura Gedeoni cuidam: scias te grauiora

uiora passurum, si reuersus fueris ad vomitum; infirmus es quia peccasti, propter iniquitatem mittit Deus infirmitatem. Medicorum scitum est. grauissimus morbus qui à capite incipit. sed capitis vita & valetudo nonne ab Anima? ita maximè; quid ergo capiti morbos times, Animæ verò non times? O quot in vino corpore mortuas habent Animas cum D. Bernardo loquor! capiti timent, animæ morbum, imò mortem, contemnunt! De Philothimo excellenti Medicæ Artis perito Plutarchus habet; cùm iuuenis quispiam illum de reduuia consuleret, agnitâ internorum eius malâ dispositione dixisse iuueni: Non est tibi cura de reduuia. Auditor quos malè affixos videris lectulo, sæpiùs inclama, non est de corpore sed agendum de Anima; videndum quippe, ne propter iniquitatem corripuerit Dominus, ideò fratris Domini consilio, inducendi Presbyteri *Iacob. 4. cap.* rationarium conscientiæ discutiendum, disponendum domui, non solùm, quia morieris tu & non viues, sed etiam quia fortasse, nomen habes quod viuas & mortuus Luc: 12.
es *Apoc. 3* Imò quia hac nocte repetent animam tuam à te.

EADEM DOMINICA.

Iubilæum SS. Domini nostri Clementis IX. A. 1667. in quam etiam incidit, Dedicatio Ecclesiæ Rosmirensis.

COmmuniter rerum grauium, sicut & solennitatum, concurrentia, sua habet mysteria, noui aliquid portendere solita. Anno superiore 1666. erant concurrentiæ, puta notarum Arithmetico chronosticarum, trium videlicet 666. post, in diem 25. Aprilis cöinciderunt, Festum Resurre- 24. Iunij.

ctionis

ctionis Dominicæ, & S. Marci Euangelistæ cum Litanijs Maioribus; mox 24. Iunij Solennitas S. Ioannis Baptistæ & Præcursoris Domini, cum Festo SS. Corporis Christi & Processione Solenni. Quid portenderint, experto crede Ruperto, annonæ caritas multos exercuit, dicam an erudiuit? Sed ecce iterum vix ac ne vix quidem minor coincidentia; Dominica 18. à Pentecoste hodie, & Ecclesiæ nostræ Anniuersaria Dedicationis Festiuitas, concurrunt, Zachæus in Sycomoro, & Paralyticus in tecto, salus cum infirmitate, morbi cum Medico. Quid putas Auditor concursus iste aduehet? dic conuiuij in domo Publicani, ægrientis lectus offertur Christo. Docent Mathematici solem in Geminis optima prænotare, anniq; opulentam fertilitatem promittere. Non aliter nobis hodierna polliceri videtur concurrentia, postquam Sol Iustitiæ Christus in Geminis, id est apud geminos patientes Auaritiæ vnum, & alterum paralysis sitit, gratiæ suæ dona impertiens peccatoribus & veniæ; videtur inquam bona omnia polliceri, dies præsens, sicut re ipsa offert nobis remissionis gratiam in Iubilæo, à Coronato Summo Pontifice, Clemente concesso. Fælix Solstitium Christi hodiernum in Geminis, sub Plenilunio currentis Augusti, qui nobis, vti in domo Zachæi, & ad grabatum Paralytici, annum Iubilæum clementissimè indulgebit. Ad Maiorem Gloriam.

Sol in Geminis.

Hodie salus *Luc: 19.* **Remittuntur peccata** *Matt. 9.* De Anno Iubilæi *Leuitici 25. cap.* sacer textus habet, vbi vocatur annus remissionis cunctis gentibus. Nam anno quinquagesimo siue Iubilæo dimittebantur vniuersa debita quæ tenebantur sibi inuicem, serui & captiui manu mittebantur, ad suã quisque redire & possidere ea licitè poterat. Figurabat hoc mystice remissionem & indulgentiam peccatorum in nouo testamento, vbi inpræsentiarum est verus annus Iubilæi, per pœnitentiam enim condonantur omnibus debita spiritualia, absoluuntur varij peccatores à vinculis criminum, captiui & iugo

pressi

pressi Sathanæ dum conuertuntur ad cor, redduntur libertati, redeunt ad sua per gratiam, quæ amiserunt per culpam, & Iustificati, accipiunt ius Regni, quod sacra aperit Pœnitentia. Talem remissionem factam & Iubilæum tam in domo Zachæi quàm ad lectum Paralytici celebratum attendamus. Et primùm quidem in Iericho, & domo Zachæi ita actum est, namq; diues iste, vt plurima, ita grauissima contraxerat debita, auaritiæ, vsuræ, rapinæ, fraudis & concupiscentiæ. Captiuus itidem tenebatur per injurias proximis illatas, & ad incitas, tandem redactus, egebat gratiâ, quam hodie Sol Iustitiæ Christus & miserationum Pater, eidem obtulit fatus: Hodie in domo tua oportet me manere. dimisit illi omnia debita peccatorum, Hodie salus domui huic facta est. restituit tandem libertati captiuum: eò quod & ipse filius sit Abrahæ. Recipit possessionem Zachæus: venit enim filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. En annum Iubilæi in domo eius, hodie salus hodie annus remissionis & gratiæ! Adeamus & Capharnaum, Ciuitatem Christi, in quam venienti Domino, offerunt paralyticum in lecto iacentem. totum sanat Medicus, tam in Anima quàm in corpore. Mirantur scribæ, cogitant in cordibus suis contra Dominum, & qui possit sanare in anima, & remittere peccata, scrutantur. Verùm omnia hæc nostro commodissima sunt proposito. & nonne mirantur nostri dissidentes, ad valuas Ecclesiæ appensum Sanctissimi Domini nostri diploma? nonne pariter hæc in cordibus eorum voluitur cogitatio? quomodo potest Papa concedere indulgentias plenarias & Sacerdotes Papistici remittere peccata? at, quod Christus ipse respondit, idem dico: quorum remiseritis peccata remittuntur eis, &: tibi dabo (ad Petrum) claues regni cœlorum, cuius successor hodie Sanctissimus in Christo Pater & Dominus noster Clemens Nouus fungitur eodem Sacerdotio! Redeo ad paralytici grabatum. Consequitur hodie annum remissionis, gratiæ & Iubilæi; remittuntur illi à Domino debita: re-

Iubilæum in domo Zachæi.

Iubilæo donatur paralyticus.

Ioan. 20.

Matt. 16.

mittun-

mittuntur tibi, inquit, peccata tua. accipit Libertatis insignia, tolle grabatum tuum, restituitur Iuri possessionis suæ: vade in domum tuam. En iterum in Capharnaum Iubilæi peracta dies. Idem nobis offert etiamnum Saluator & Sol in Geminis constitutus Deus, parata est nobis salus, & remissio peccatorum, modò Zachæi & Paralytici vestigijs insistamus. De Zachæo *D. Ambrosius lib. 8. in Luc.* Zachæus in Sycomoro, nouum videlicet noui temporis pomum. Auditor annus Iubilæi, annus remissionis, annus gratiæ, innouare & tu, nouos fructus in Christi vinea, fructûs dignos fac pœnitentiæ, noua sint apud te omnia, cor, vox & opera. Ecce dimidium bonorum suorum dat iste pauperibus, tu iuxta posse eroga, reddit, quos defraudauit, quadruplum, & tu de restitutione cogita. Quid verò Paralyticus? surrexit. lectum tulit, in domum abijt. Surge tu patiret qui dormis, & resurge à mortuis & illuminabit te Christus. tolle lectum in quo iacebas, abijce quod te scandalizabat, vade in domum tuam, in domum æternitatis, vbi salus, vbi vita, vbi annus Iubilæus. Vtinam, quod Zachæus cum tota domo, Paralyticus cum latoribus, hodie obtineamus, gratiam Saluatoris, & tandem, coronæ anni benignitatis, inferamur. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Eph. 5.

DOMINICA XIX. A PENTECOSTE.

Vidit hominem non vestitum veste Nuptiali.
Matth. 22.

Portentum

PORtentum Auditor deuote! qui nostrî amore in crucis patibulo nudus appenditur & vestit lilia agri, super gloriam Salomonis *Matt. 5.* adeò, vnius inopiâ vestis nuptialis, offenditur, vt dicat ministris: ligatis manibus & pedibus, proijcite eum in tenebras exteriores! verùm Rex est hodie, & facit nuptias; regales item vult, & Regio splendidos ornatu conuiuas, conformes vtique imagini suæ, & splendori! Beätus qui vigilat & custodit vestimenta sua ne nudus ambulet *Apoc. 16* dicebat Ioännes. Mihi certè monendi omnes Nuptiarum Agni, mox à morte proxima, futuri conuiuæ, vestem sibi vt comparent, qualem Augustinus esse refert Angelorum, fatus: vnam vestem habent lucis, nunquam teritur, nunquam sordidatur. Quæ verò isthæc. Innocentiæ puto, quod me docet Nuptiarum Agni locus, quem nemo inquinatus ingreditur, docet me Rex & Regis Filius, qui pascit inter lilia aut innocentium corda. Dicam de hoc, Ad Maiorem Dei Gloriam. Apoc. 22.

Vidit hominem non vestitum veste Nuptiali. *Matt. 22.*

Ad sacrosanctum Missæ sacrificium, & Regis æterni conuivium accessuri mijstæ Catholici, solenne habent dicere, dum se vestiunt, sequentes orationes: Dealba me Domine & munda cor meum, vt in sanguine Agni dealbatus gaudijs perfruar sempiternis. Ita ad Albam. Et: redde mihi Domine stolam immortalitatis, quam perdidi in prævaricatione primi parentis & ad stolam. Vestis Innocentiæ & Iustitiæ dicitur reddenda, dealbandus conuiva an fortè vt prodigus meruit quondam Lucis? dixit enim Pater seruis: proferte citò stolam primam. Siquando contingat nos insordescere, & vesti Animæ aspergi maculas peccatorum, lavanda est per lavacrum pænitentiæ, vt pulchri ad pulchrum, candidi ad Agnum veniamus. Hæc est illa vestis nuptialis, sine qua, de cænaculo Regis æterni eijcimur mittendi in tenebras exteriores.

Laurentij Bajerlinck est quod refero. In funere Ioännis

Henberus

Hennberg Canonici Antuerpiensis posita est vestis de pellibus Mustelæ Albæ super eius tumba cum Epigraphe: non inquinata vestis. Mysterium facti declarabit, animalculi huius natura prorsus admiranda. Odit summopere lutosa, auersatur paludes, timet maculari. hinc gnari Venatores ad lutosa illam compellunt, at mavult occidi quàm maculari. Similem in castissimo quondam Principe suo D. Casimiro stupuit virtutem Polonia, qui suasus à Medicis, ad immunditiem carnis, recipiendæ gratiâ sanitatis, muribus istis, arrosam eius virginitatē volentibus, hoc telum, Mustela candidissima, apposuit: malo mori quàm inquinari. Augustinus Mascardi *Oratione 3.* inordine, in funere francisci Gonzaga Principis Castilionei narrat, sub isto principe, quindam, cùm à virgine à se pertentata, obtinere concubitum non posset, ipsam interfecisse, & mox capitali supplicio affectum fuisse Iussu Principis, qui dein statuam erexit Virgini, candidam Mustelam in sinu præferentem, additis verbis apud imaginem: Maluit mori quàm fœdari. Vtinam omnes Agni sponsas hodie, intrinseci candoris in Anima, tantus occuparet Amor! vtinam omnes cælo nati, & prædestinati ad vitam, mallent. cum his millies mori, quam leuissimum conscientiæ næuum admittere! Heu! quot vltrò, animæ vestem, cæno immergimus obscænissimo peccatorum! interim animalculum insipiens, mauult occidi quàm lutum inire & fœdari! Apud Romanos qui adibant Magistratum petendo, aut Consulatum, tunicâ vestiebantur candidâ, unde etiam dicti Candidati. Auditor si Magni Cæsaris & Regis Fily ambis comitatum, si vitæ æternæ, dignitati inhias, ubi plus Romanâ fulgebimus gloria, esto candidus in Anima, castus in corpore, gloriosus ab intus, vt illa *Psal. 44.* nec exteriores time tibi, lucis fili, tenebras. Toleti asseruatur Casula candida (refert Petrus Ribadineira) quam D. Ildefonso Episcopo ibidem Beatissima Virgo horis stipata Virginum apparens donauit fata: Cultæ tuæ & defensæ meæ Virginitatis præmium,

[Albæ Mustelæ natura stupenda.]

[Breu: Rom.]

[V. Laurenti: Laurédan: tit: Virginit.]

[Canditati vnde dicti.]

[Ab Anno 667.]

sit hoc cœleste munus, in quo mea meiq; filij festa, celebrato. En iterum vestis nuptialis Castitas & virginea integritas, quâ vestiti, à nuptijs Agni, minimè arcentur, imò sequuntur Agnum! *Deuteronomij 21.cap.* inter conditiones captiuæ mulieris in sponsam ducendæ præcipitur: deponet vestem in qua capta est. Franciscus de Sales & Lyranus sponsam Animam intelligunt, quæ vestem, in qua capta est, vitiorum scilicet, deponere iubetur, quasi fortè dicatur ei, vt nuda omni maculâ appareat, in modum primæ formationis suæ, vbi solâ vestiebatur Innocentia, iuxta illud: accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri. quod vti paruulis, ad fontem baptismatis inculcatur, ita adultis, Christi verbis *Matt. 5. cap:* ingeminatur: Nisi efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum.

[Vestis cãdida in baptismo datur.]

De iniquo illo Christi Iudice refertur, cum à militibus habuisse vestem Saluatoris Sacratissimam, eaque indutum cùm à Cæsare Romano citaretur comparuisse. Nihil in parricidam potuisse Cæsar ob vestis sacræ præsentiam creditus, donec tandem proditus, illâq; exutus daret pœnas. Nemo sanè, meò quidem arbitrio est, qui vesti sacerrimæ, deroget virtutis tantæ gratiam; at audenter etiam dicam, tantundem facturam Innocentiæ nostræ, charitatis & inculpatæ Christi Sponsarum vitæ chlamydem. quis quis es parili amictus vestimento, vade securus, recumbe, hâc visâ lætabitur Rex, & cænabit tecum & stolam gloriæ induet te.

[Iacob. de Voragine Hist: Longobardus.]

Obmutuit. *Matth. 22.*

Admirationi humanæ adscripsit quidam silentium fatus: admiratio quæ maxima est, non parit verba, sed silentium. *Aulus Gell: lib:4.* Magis ego id conuenire putem animo metu percito, stupore perculso & percusso. Non inuenit sanè homo hodiernus verba, inuenit silentium, dum loqueretur sibi Rex: amice quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem? velut alter Aman non ferens uultum Regis & Reginæ,

Ilicò obstupuit *Esth. 7.* Heu quid fiet reis olim, post quàm fuerit locutus Rex? quid inimicis cùm loquetur eis in porta mox futuræ aut bonæ, aut infœlicis æternitatis, disceptans cum omnibus gentibus, vt habet sacer vates, in valle Iosaphat? Videamus A. M. D. G.

Obmutuit. *Matth. 22.*

Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis inquit B. Iudæ Canonica *versu 14. cui Daniele teste 7. cap:* assistent millia millium, *&* j *Cor: 4.* illuminabit absondita tenebrarum & manifestabit consilia cordium, postquàm aperti fuerint libri & alius liber qui est vitæ *Apo: 20. cap.* vt nihil sit occultum quod non sciatur, aut absonditum quod non reueletur. *Luc. 12.* testimonium illis reddente conscientiâ ipsorum *Rom: 2. cap.* Auditor? putas hæc sufficient vt mutescat, cui opera mala aut bonorum operum interula nulla? non solum tunc dicet Rex: Amice quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem? sed etiam: Ite maledicti in ignem æternum. *Matt. 25.*

Obmutescêt in Iudicio mũdi operib⁹ bonis.

Origens tract: *lib. 8. in Matth.* acri Principis Apostolorum reprehensione asserit exanimes cecidisse ad pedes eius Ananiam & vxorem illius, id quod *S. Gregorius confirmat. 2. Dialog. cap. 30.* fatus: Petrus vtriq; Coniugi vitam abstulit arguendo, qui reddidit Thabitæ orando. Auditor! vox Petri acerba, hæc in reprehensis, quid porrò vox illa Regis Domini in reprobis? obmutuit non vestitus veste nuptiali, quid faciet omni Virtutum nudus velamine?

S. Greg. l. 2. Dialogus 30. c.

Pulchra Didaci Nisseni est serm. *Feria Post Dominicam 4. quadragesimæ perioch: 6.* meditatio, vbi idem esse asserit obmutescere, quod est mori. putarem malle plurimos mori, quàm, ad Regis Iudicaturi interrogata quondam, mutos tremere, quid dicam? aut quid respondebo cùm fecerim? Hæc fecisti & tacui *Psall. 49.* arguam te & statuam contra faciem tuam, inquit, quis non obmutescat? statuam contra faciem tuam cogitatus tuos, verba tua, opera tua secreta, & mihi soli Deo

nota,

nota, quis non emoriatur? si possibile esset in aduentu Dei post resurrectionem, præ timore interire Animas (*lib. 5. Vit. PP. titul. de Compunct:*) omnis Mundus moreretur à timore & formidine! Hoc nimirum Sancta effet Ecclesia!

Quid sum miser tum dicturus
Quem Patronum rogaturus
Cum vix Iustus sit securus!

Missale Romnn.

dignum suâ epiphonema illud prophetæ *Iobel. 2.* veritate. sileat à facie Domini omnis terra, cuius vox in magnificentia concutiet Cedros Libani confringetque *Psal. 28.* Hinc Antonius Escobar *lib. 9.* de Iesu patientis silentio: Oquomodo in mentem subit mihi tubâ horribilem Iudicij, ex tam profundo silentio generari! Hæc fecisti & tacui, existimâsti inique quod ero tui similis? arguamte, & statuam contra faciem tuam. Vociferabitur *Isaia. 42.* & clamabit, quis respondebit ei? non est qui respondeat obmutuit!

Rafaël dalle Colombe Dominicanæ Familiæ *Fer. 2. Domina* j *Quadragesim: refert Philippum 11.* Regem Hispaniæ infra Missarum solennia duos inuicem confabulantes aduertisse, quos, à dicta Missa, transiens, affatus est: vos post hac ne amplius coram me stetis. Horum alter mærore enectus, alter omni vitâ attonito similis visus est. Et non Rex Hispaniæ sed Rex Regum dicet: Amice quomodo intrâsti huc? quomodo intrâsti non habens vestem nuptialem, vbi cæna Nuptiarum Agni, solùm datur ijs qui digni sunt, & vestimenta eorum candida. Vociferabitur & clamabit, quis respondebit ei? Est, quod notetur accuratiùs; post manifestationem Pro Regis Ægypti Ioseph, cùm incognitus loqueretur eis *Gen. 45.* Ego sum frater vester Ioseph, adhuc Pater meus viuit? non poterant Fratres respondere nimio terrore perterriti. Nec hodierno conuiuæ, verba, sed silentium peperit subita Regis, esto amica, interrogatio: Amice quomodo intrâsti huc, non habens vestem nuptialem? liquefacta dicam an perempta est Anima illius

Verbum Regium quàm penetrabile!

 vt

vt Rex locutus est, & tamen quid hæc ad illa? Ecce. quæ ego amore tui pertuli? en! in manibus meis descripsi te, lege scripturam hanc, & Vide, quàm iniquè mecum egeris, tibiq; æternam struxeris tuo malo æternitatem! ligatis proinde manibus & pedibus, proijcite eum in tenebras exteriores, vbi nulla redemptio! sed fletus, horror sempiternus, & stridor dentium! Amabo te Auditor, sæpius hæc tibi, animo finge loquentem, sæpius, quid reddas ei, sollicite inuestiga, præsentia esse, quæ ventura nôsti certissimè, imaginare, ne quod terribilissimum est, obmutescas! memorare nouissima tua!

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Incipiebat mori *Ioan. 4. cap.*

Conditionem hominis morituri velut in speculo humanis obdit aspectibus patientissimus *Iob. c. 14.* fatus: Homo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. At Reguli huius an isthæc etiam conueniunt filio, qui infirmabatur, imò: incipiebat mori? ità maximè Auditor! flos iste regali ortus, vt vt fuit, sinu, vix egressus, conterebatur, fugiebat, nec vnò radicabatur statu, quia incipiebat mori. Et dum esset Homo, fuit mortalis, similis omnibus, & primam vocem similem omnibus emisit plorans *Sap. 7. cap.* Nam teste S. Cypriano serm. de bono patientiæ: Vnusquisq; nostrum cùm nascitur & hospi-

tio

tio huius mundi excipitur initium sumit à lacrymis, & procellas mundi quas ingreditur, in exordio statim, ploratu & gemitu, rudis Anima testatur. Incipimus mori dum nascimur; temporalis enim vita Magno Gregorio *hom: 37.* mors est potiùs dicenda quàm vita. Quid porrò vltrà facto opus est? statutum est hominibus semel mori *Herb. 9. cap.* præueniendum est hoc semel, incipiendum continuè mori, qui optat vt detur sibi benè mori. Hoc Ad Maiorem Dei Gloriam.

Incipiebat mori. *Ioan. 4.*

Aleâtores, quemadmodum & Pictores, eâ gaudent licentiâ stabili, vt quidquid vno perdiderint iactu, & quidquid vno non examussim expinxerint tractu, iterent, repetant, emendent. Ast!

Nos vbi decidimus tota ruina manet.

PRæterire statutum, mori præter semel, ò quàm paucis vsque concessum! Robertus Cardinalis Bellarminus *lib. 2.* de arte benè moriendi, Ioannem Climacum in sua Scala *grad: 6.* loquentem in hæc verba introducit? non omittam solitarij illius, qui in Horeb habitabat referre Historiam. Hic cùm diu negligentissimè vixisset, nullamque animæ suæ curam, haberet, morbo tandem comprehensus, ad extrema deductus est; cumque iam, à corpore perfectè migrâsset, post vnam horam ad se rediit, orauitque nos omnes, vt inde protinùs abscederemus, & cellæ aditu lapidibus obstructo, permansit intus annis duodecim, nec aliud quidquam, præter Panem & Aquam degustans. (Bis mortuus.) Sedens autem, ea tantùm, quæ in excessu viderat, attonitus voluebat, atq; in his adeò fixo fuit cogitatu, vt nunquam vultum mutaret, sed semper sic attonitus perdurans, vim lacrymarum feruentium tacitus profunderet. Cùm verò iam morti esset proximus, rupto ac patefacto aditu, ingressi sumus, cumquè ab illo doctrinæ verbum supplices inquireremus, hoc ab illo tantummodò audiuimus: nemo, qui reuerâ mortis memoriam agnouerit, peccare vnquam poterit. Incipiendum

est

est mori continuè vt detur semel mori benè! & præueniendum omnibus quod statutum est hominibus! Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superuentura pariat dies *Prou: 27.* Messodamus Senecio sanctissimus ad crastinum inuitatus ab amicorum quodam prandium, pereleganter iuxtà ac sanctè respondit: à multis annis crastinum non habui: cur me in crastinum vocas? sed mortis adventum in singulos dies expectaui! Meminit vtiquè illius, quod profanus olim cecinit Poëta:

2:

1:

Marci. **Sera nimis vita est crastina, viue hodie!**

In dies expectans mortis aduentum, statutum diem præibat, & moriturus semel, mori incipiebat. Hinc Apostolus *2. Timoth. 4.* Ego (inquit) iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Vtiquè vt D. Gregorius habet, quotidianus defectus corruptionis non aliud est, nisi quædam prolixitas mortis. Et vltrà: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: in reliquo reposita est mihi corona Iustitiæ. Vtinam in eius modum mori inciperemus, bonum certando certamen, consummando inceptum per opera meritoria cursum vitæ, fidem seruando, atque ita coronaremur in morte! Vtinam quod Pausaniæ quondam Psitacus hospitibus, nos ipsi nobis occineremus: nunc tubæ, post hac tumbæ!

Non præterierim facilè illud, quod beatus Agatho tenacissimus ille silentij Abbas, qui eius gratiâ, triennio fertur mordicus pressisse lapidem; moriturus egit. Triduo quàm euocaretur in cælum, apertis oculis illuc suspiciebat ac interpellatus à fratribus dicebat: Inconspectu Diuini Iudicij assisto. cui, dum fratres dicerent, & tu times? respondit: Homo sum, & nescio an opera mea placuerint Domino necne? alia enim sunt iudicia hominum, alia Dei! Tandem! facite inquit charitatem, & nolite vltrà mihi loqui, quoniam occupatus sum quo dicto, expirauit. Auditor quàm rigorosè etiam hic incipiebat mori in vita, vt viueret in morte. Vnde perquàm aptissimè quidam dixit, viuendum quasi mortui essemus. Lauredan:

In V. Patrum,

redan: Titulo Mors. Nam: Mortis inexperti, vix mortis sunt bene certi.

Petrus Nobilis Polonus, à D. Stanislao, ad veritatem dicendam, contra Boleslaum Regem, in testem, è triennali quiete suscitatus, dum à Sancto, num sibi vitam prorogari velis, interrogaretur; abnuit. An quia periculo exponi timuit male moriendi? ita sanè: Morti ritè, credit solus; à morte qui redit. Incipiendum imò moriendum est semper, vt moriamur benè semel. In Ezechia Rege *4. Reg. 20* est profectò quod stupeas! denunciatur mors Regi: dispone domui tuæ quia morieris tu & non viues. Quàm cathegorica sententia! morieris tu Rex Ezechia & non viues. accepto nuncio lacrymatur Rex, opera sua commemorat, precatur Dominum; & ecce tibi: hæc dicit Dominus Deus Dauid Patris tui, infert Isaias; audiui orationem tuam & vidi lacrymam tuam & ecce sanaui te; die tertio ascendes templum Domini; & addam diebus tuis quindecim annos. Inquirit Rex futuræ sanitatis signum, & ait Propheta: vis vt ascendat vmbra decem lineis aut vt reuertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias: facilè est vmbram crescere, nec hoc volo, sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus. Inuocauit itaque Esaias Dominum, & reduxit vmbram per lineas, quibus iam descenderat in Horologio Achas, retrorsum decem gradibus. Auditor? quid ascensus ille & descensus vmbræ tibi denotat? nonne augmentum crescentis æui & vitæ, eiusdemque defectum? sic vtiquè omnes crescendo deficimus in horas, sed quia Regi vita reddenda erat prolixior, illud quod defecit crescendo, reparandum fuit retrò cedendo. Et quia Rex Solis instar, qui oritur & occidit & in locum suum reuertitur, sanitate, & vlteriore vitâ donatur, Sol per lineas, quibus iam descenderat, vmbram retrò vertere iubetur, vt animaduertere liquidò detur, verissimum esse illud: vix orimur, morimur. Et: mors non tardat. Ac proinde præoccupanda est vltima linea, nec aliter meliùs, quàm si hora nulla,

In vita S. Stanisl.

4. Reg. 20. cap.

nulla, aut dies ierit ſine mortis linea; Quid enim vita noſtra? vapor eſt, inquit Frater Domini *cap. 4.* ad modicum parens. Igitur incipiendum mori, ne præoccuperis, id quod Celius Calcagninus acutè expimit :

Vt tibi mors fælix contingat viuere diſce,
Vt fælix poſſis viuere, diſce mori.

Ad propoſitum, coronabit ſermonem noſtrum, Wizannæ, Ex Bſouio. Nobilium Clementis & Roſciſlauæ inPolonia Filiæ dictum quoddam. Parentes prædicti, vnicam hanc filiam, inter Sanctimoniales D. Benedicti Deo conſecratam, habentes, omnium bonorum ſecerunt hæredem, villâ in vitæ ſuſtentationem retentâ. Interea temporis contingit eis proles maſcula. ſalutant Viſannam læti, & nomen, tam grato imponendum Hæredi, exquirunt. Filia, vt erat præſcia futuri, nominetur inquit Dońutrek. Craſtinus, nam perendiè, ſacro tinctus flumine, emorietur. Viuendo mori incipimus Auditor, vt benè moriamur, incipienda Mors, imò Vita quæ idem eſt cum morte. Ite mortales, Plinius in paneg. 19. cap. & magnis cogitationibus, animum implete, cras moriemini !

Hic Acceſsit ad eum. *Ioann. 4.*

Cedat in Encomium ſolliciti pro filio Parentis hodie Aud. quòd, cùm audiſſet quòd Ieſus veniret ex Iudæa in Galilæam, acceſſerit ad eum interpellaritq; pro filio, qui mori incipiebat. Multorum certè, & vtinam omnium, in rebus aduerſis, anteſignanus, recurrentium ad Dominum, foret! adeò ætate noſtrâ increvit poſſima & abominabilis conſuetudo, vt relicto Deo, & Creatore Optimo Maximo, ad quas neſcio creaturas, inter anguſtias, deprehenſi, refugiant fideles. Atquo vos? ò inſenſati! nunquid Saluatorem noſtis Medicum? Iacet toto orbe ab Oriente vſq; ad Occidentem grandis ægrotus, ſed ad ſanandum grandem ægrotum deſcendit Omnipotens Medicus. humiliauit ſe uſq; ad mortalem carnem, tanquam uſq; ad lectum ægrotantis *S. Aug: ſerm: 55.* de verbis Domini 1 Reg 2. *cap. 11.* Quin acceditis porrò illum, qui mortificat & viuificat?

cat? vſquequo diligitis vanitatem & quæritis mendacium ò filii hominum imò filij excelſi? Miſerere mei Domine quoniam Pſal. 4. infirmus ſum precatur *Pſal. 6.* Rex Propheta, deſcende prius quàm moriatur, obſecrat Regulus pro Filio, tu alios Medicos, imò Deos habes coram illo, quod eſſe lethiferum & damnabile. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Acceſsit ad eum. *Ioan. 4.*

EX ore ſupremi Numinis *Leuit. 19. cap.* Præceperat Moyſes: ne declinetis ad Magos. Nam: Anima quæ declinauerit ad Magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam *Leuitic: 20. cap.* Audite rebelles Deo noſtro! interfecturum ſe minatur animas omnipotens, quæ fornicatæ fuerint, accedendo & conſulendo creaturas, relicto Creatore.

S. Auguſt: Quæſt: 26. ca. 7. Non obſeruetis; quicunque diuinationis, aut facta, aut Auguria obſeruat, aut attendit, aut conſentit at obſeruantibus, magis ad ſui damnationem, quàm ad ſuam ſalutem tendit. ſiue qui per quoſdam numeros literarum, & Lunæ, per Pythagoricam, ægrotantium vitam vel mortem, vel proſpera, vel aduerſa, inquirunt. Sed heu! quanti ſunt hodie! qui neglecto Reguli Euangelici exemplo, pro ſuorum leuanda infirmitate, Diuinos & incantatrices aduocant? cùm tamen omnis inquiſitio & omnis cura de morte & vita, quæ à Diuinis & Magis, & à Dæmonibus, in idolorum cultura expetitur, mors potius dicenda eſt, quàm vita; &, qui ea ſectantur, ſi ſe non correxerint, ad æternam perditionem tendunt. Hæc Auguſtinus; additque: d cente Pſa miſtâ Omnes dij gentium Dæmonia ſunt, qui per deceptos homines, decipere quotidie geſtiunt, vt perditionis ſuæ, faciant eos, propter hanc cauſam, omnes eſſe participes. Audiant hæc omnes illi, qui in aduerſis & anguſtijs, ſuorum, ſiue hominum, ſiue animalium, non cum Regulo ad Chriſtum, non Sanctæ Matris Eccleſiæ orationes, ſed ad infallibiles ſuas, vt credunt, incantatrices refugiunt,

Magica Ars & incantatio quid:

fugiunt. Contta quos *26. quæst: cap. 7. Admoueantur.* Admoneant, fideles Sacerdotes populos, vti nouerint Magicas artes, incantationesque, quibuslibet infirmitatibus hominum, nihil remedij conferre, non animalibus languentibus, claudicantibus, vel etiam morientibus quidquam mederi, sed hoc esse laqueos, & insidias Diaboli, antiqui hostis, quibus ille perfidus, humanum genus decipere nititur. O callidam aspidem! Causam mortis Saul Regis commemorans Sacer textus *1. Paralip. 8. cap.* ait Morruus est ergo Saul propter iniquitates suas, eò, quòd præuaricatus sit mandatum Domini, quod præceperat, sed insuper etiam Pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domino, propter quod, interfecit eum. Quid dici poterat in rem nostram clarius? quòd consuluerit Pythonissam, & non sperauerit in Domino, propter id interfecit eum. Si enim vt Paulus *Roman. 3.* ait, nunquàm sunt facienda mala vt eueniant, bona, quomodo lethali absolueris noxâ? qui infantis ægri, ad pristinam reducendi valetudinem; causa incantari eum iubes & malum coram Domino facis, vt bonum filio, aut filiæ, adducas? Faciat homo pro temporali salute hominum, quantum potest, (inquit D. Augustinus) cùm autem adhoc ventum fuerit, vt tali saluti nisi peccando consulere possit, iam se existimet, non amplius habere, quod faciat. O quàm laudabilius agunt ij, qui Reguli Euangelici manuductu, te Christe, tuosque deuoti accedunt, sanctæ Matris Ecclesiæ precibus fidunt, & Sacrosancto Missæ sacrificio, infirmis succurrunt! Occurrit animo puella illa captiua apud Naaman leprosum, quæ ait ad Dominam suam: vtinam iuisset Dominus meus ad Prophetam qui est in Samaria, profectò, curâsset eum à lepra sua *4. Reg. 5.* Idem sanctè responderent vobis, idola pessima, Incantatrices vestræ, Auditores; quid nos consulitis homines vobis similes? ite ad Prophetam, accedite Mystas, illi, illi, faciem Domini placabunt ad aras, & miserebitur vestri, viuificabitque qui & mortificauit, aut propter iniquitatem corripuit hominem. Verùm

Saul moritur quia consuluit Pythoniá

4. Reg. 5.

surdis

surdis hæc fabula- ridetur deuotio, superstitio exaltatur; sperauit in Domino, eripiat eum, mauult torqueri quàm leui brachio, sanitati, verbis aliquot incantatus, restitui. Interim præstat cum Regulo ad Christum, vel eius sanctos accedere per pias supplicationes aut vota, & cum Rege Propheta exanimitus dicere: odisti obseruantes vanitates superuacuè, ego autem in Domino speraui; exultabo & lætabor in misericordia tua *Ps: 30.* Quod si desperetur sanitas, induc Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini. Ita Apostoli: vngebant oleo multos ægros & sanabantur. *Marci 6. c.*

Iacob. 4. cap.

DOMINICA XXI. A PENTECOSTE.

Voluit rationem ponere cum seruis suis. *Matt. 18.*

MVlta Sapientiâ eget rationem positurus cum seruis, opus est, omnem vt nouerit literaturam & numeros, aut veriùs dicam fraudes eorum, quia filij huius sæculi, prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua. Esto enim excellens donum, & Ars, sit Arithmetica, à Patre luminum descendens, vt cecinit nonnemo:

Luc. 5.

Soli homini numerare datum est, hanc indidit artem,
Cum prima nobis, Relligione Deus.

Stigelius in theatr.

Æuo tamen nostro alia longè practicatur Arithmetica ità, vt facilè prudentissimo cuiquam vsuveniat dicere: non cognoui literaturam, numeros non noui, Regulas Arithmeticæ filiorum sæculi, non penetro; id quod in præsenti discursu patebit. A. M. D. G.

Volu-

Voluit rationem ponere cum seruis.

PRimas inter Arithmetices regulas, tenet, Numerare. Hæc verò adeò innotuit omni hominum generi, vt etiam idiotæ, solicitè computent dies, & horas, quas Dei seruitio impenderunt. Tædet animas eorum vitæ suæ, si intra hebdomadem, ex Sanctæ Matris Ecclesiæ præcepto & vsu, plura occurrant, sine opera seruili peragenda, festa, numerant quot panum frusta in Christi membris distribuerint, quot precum fuderint, quot dies jeiunauerint & sic de cœteris!

Vellem nemo illorum literaturam cognosceret, id quod *Psal. 70.* Rex Propheta dicebat: non cognoui literaturam: Lucas Burgensis legit: nescio numerare: quasi dicat: non attendo numerum pauperum quibus Christi nomine erogo Eleëmosynam, noctes non computo, esto soleam surgere ad confitendum ei nocte mediâ, horæ ad calculum non veniunt, qui-

Psal. 117. bus Diuinæ vaco placandæ & adorandæ Maiestati! Non cognoui literaturam cum acediosis, sed sepies in die laudem dico ei, modicum reputans, quòd non omne tempus donem ei. O quot illos artis tam damnosæ Magistros, qui vltra debitum ne latum quidem procedere velint vnguem! vnâ Missâ auditâ festo die, fit præcepto Ecclesiæ satis, quid porrò audiam duo? solus cibi abstinentia implet jeiunij præceptum, quid vltrà & potu abstineam? vellem quod olim optabat sibi, adhuc Clemens Nero, nescirent litteras; sed Christi manuductu modicum reputarent, quidquid sui amore perferrent malorum, etiam plurimum, aut spe salutis operarentur multum, certè, cùm in honore esset homo non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus & similis factus est illis *Psal. 48.* Refert enim Ælianus Susidis regionis vaccas, nulla verborum asperitate adigi posse, vt vltra præscriptum numerum Aquæ, in cados allatæ, deferant. At, nec prætereibo insignes Regulæ huius Amasios, heu quàm noverunt! millia millium Dæmonum, & Sacramentorum numerare, quot Ecclesiæ sint Sacramenta, quot

Blasphemorũ regulæ Numeratio.

in Diuinis Personæ, quot Beatitudines, aut dona Spiritûs Sancti, nullatenùs possunt memoria tenere.

Altera Regula Arithmeticæ est: Numerum datum scribere. Auditor vix in cæteris reperias doctiores vbiuis gentium homines, rudes popinariæ, caupones, Tabernarij, passim nouerunt scribere. nec simpliciter at ex arte, puta duo pro vno, altero tanto plus pro dimidio & reliqua. Vis te doceam? non ausim quidem, sed eorum stylum aperio! cretam bifurcatam accipiunt, & vno tractu duas lineas, siue Notas, effingunt. Errauerim Auditor, si non de illis quondam *Matt. 23.* quæstus audiatur Saluator; væ vobis scribæ! Nolo vltrà progredi, scio Notarijs, quæstoribus, ærarij & redditũum præfectis, Regulam notissimam. aduerte: vno anno, addit & adscribit censui annuo denarium, vel alterum, sequenti itidem, & sic deinceps donec accrescat Imperialis, tum demum excusationes in peccatis, quod scripsi scripsi; anno superiore tot supra Imperialem denarios tribuisti, quia & præsenti? verùm, timeo manibus Pilati, ne etiam lotæ aquâ sordeant. Nouerunt Arithmeticæ huius Regulam & Numerum datum aut potius dati vel accepti scribere, etiam sculteti rurales, & pagorum seniores, dum enim quæstores agunt, tributa communitatis exigunt, quidquid vltra summam debitam superat, viritim, in singulos diuidunt, cum Sacerdotibus Iudæorum dicentes: Non licet eos mittere in carbonam, sed ferunt eos in cauponam, viâ malâ quia præceptum Domini est: non concupisces vniuersa quæ illius sunt. Atquè ita si quando certè in negotio simili: Beatus qui inuentus est sine macula *Eclesi. 31.* Sequitur Regula: Addere. Propria est Adulatorum, falsorum testium, Dettactorum. Ex Musca Elephantum fingere docet Optica; nam si per vitrum augens eam aspexeris, Elephas videbitur, & justo major ac re ipsâ est. leuiori negotio hoc agunt Adulatores per linguam mendacem: accedit Parasitus, sed Domino valdè gratus, cui Dominus: quem dicunt me esse homines? Tu, inquit, habes sa-

Modus scribendi duo pro vno.

Additio quorum Regula.

pientiam ſicut Angelus Dei, nec eſt quod addam æſtimationi tuæ apud omnes. nec immeritò, tali Iuſtitiâ, exemplo, lenitate. Vnum eſt quòd vices tuas doleam, Libertini tui & ſubditi ab onere laborum exempti, adeò ditati ſunt gratiâ tua, citra eorum tamen damnum poſſent imponi eis nonnulla, vt alter alterius onera portent & impleatur lex Chriſti, nam & publicum bonum priuatis eſt præferendum. Auditor! fertur Alexander Auguſtinus Imperator Thurinum Vercouium ſuffocari curâſſe fumo cum Elogio : fumo punitur, qui fumos vendebat. Apud Phyſicos autem fumus eſt ſignum Ignis; ergo fumi venditores & additores, ignem timeant gehennæ. Diuus Auguſtinus menſæ ſuæ inſcripſiſſe quondam memoratur in triclinio :

Adulatoris præmium

Quiſquis amat dictis abſentum carpore mores,
Hanc menſam vetitam, noterit eſſe ſibi!

O Deus bone quantæ additiones in temerarijs proximorum confiunt judicijs *2 Reg. 12* occidit Abſolon fratrem ſuum Ammon & ecce : fama peruenit ad Regem dicens : percuſſit Abſolon omnes filios Regis, & non remanſit ex eis ſaltem vnus. Hem! quantum additamentum! vidit quiſpiam ſolum cum ſola præ foribus honeſtè colloquentem, vadit & addit eſſe de illa ſuſpectum. Ex Muſca Elephantem! Audiſti verbum aduerſus proximum tuum commoriatur in te *Eccleſiaſtici 19. cap.*

Subtractio regula furum.

Regula quarta Arithmeticæ eſt : Subtrahere. Glorioſus ille à triumphis Rex Xerxes longas dicebatur habere manus; Qui aliena ſubtrahunt, longas manûs etiam vulgò habentes vocantur; ſed meminerint ſeptimi : non furtum facies. Longæ manus, olim quidem, multos juuerunt ad regnum terrenum, ſed, longæ, ad aliena manûs, excludent regno cœleſti! non eſt regula Diuinæ Arithmeticæ ſimilis ſubtractio! Angelini Gazæi in pijs Hilaribus de S. Vincio jucunda eſt narratio; refert enim Picam ſibi apud quendam Virum bonum fuiſſe in amoribus, vt quæ aduenienti ſæpiùs accinebat, bracchio inſidens dextro : ſalue Pater! Hanc Edom voraciſſimus è familia quiſpiam, neci & ventri

Plutachus.

Ex Canti pratan.

ventri ſuo dedit. cuius dum abſentiam, poſtliminiò redux miratur Vincius, reſcit eam perijſſe. Ac non multò poſt infert: vbi vbi tandem es, ò quondam garrula ſalutatrix, hoſpitem me, conſueta, de ventre manduconis, voce recrea; & ecce! dictu mirabile! voratoris ſui ab intimis ingeminat : Salue Pater! Nec abſimile eſt quod Hibernorum Apoſtolus D. Patricius egiſſe fertur, dum furto ſublatam etiam balare de ore furis ouem, vt juſſit, fecit. Auditor! quot oues? quot gallinas, anſeres, quot demum ſues, in diem magni judicij ſeruantur futuræ vocales? paſſim adeò iſthæc ſerpit in omnes ſubtractio, eſto, D. Auguſtini minax intonet, vbique gentium, ſententia : non dimittendum peccatum niſi reſtituatur ablatum!

Pica loquitur poſt mortem.

In vita eius.

Videamus & quintam in ordine Arithmeticorum regulam, Multiplicare, dictam. Non habet quot computet vnus ille, qui ſecundùm non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs vt ait *Eccl. 4. c.* Chriſtus Dominus, cuius diuitiæ animæ Iuſtorum teſte Salonio Vienenſi & Gregorio Nazianzeno, pauci enim adeò dantur, vt Rex Propheta dixerit : Iuſtus vt palma florebit *Pſal. 91.* verùm habet quod computet in multiplicatione peccatorum, quos exoriri idem Rex fatetur, vt fœnum! O multiplicationem nimis contrariam; Iuſti vt palma, peccatores vt fœnum! Idem ſimiliter de operibus bonis, & malis, eſto iudicium. multiplicata eſt iniquitas peccatorum *Pſal: 11.* diminutæ ſunt veritates à filijs hominum. omnes declinauerunt & abominabiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum, defecit ſanctus! omnes inutiles facti ſunt!

Deus habet quod nnmeret & non habet.

Tandem & Diuiſionem ex Regulis non poſtremam veneratur Arithmetice! Non amat diuiſionem Deus! Diliges inquit Dominum Deum tuum ex toto corde *Matt. 22.* de quo *Prou. 23.* Præbe fili cor tuum mihi. aſpernatur diuiſionem animæ, cordis, virium, minùs quippe amat, vt ait S. Auguſtinus, Deum, qui ſecum aliud aliquid amat. Auſcultent, mali dierum feſto-

Odit Deus Diuiſioně.

rum

rum diuisiones, erubescant, qui datâ vix horulâ pietati, reliquum
dant in seram noctem, malè feriantes, vanitati. Chorea in se-
rum producitur, verbi Diuini prædicatio, trium horæ quandran-
tûm, nauseatur. alea, omnes diei pomeridianæ glutit horas dul-
citer, Domini dies patitur diuisiones jugiter. Quid cùm ve-
nerit positurus rationem cum seruis? meretricium diuidatur pu-
tas laudandum? tunc laus erit, inquit Apostolus, vnicuique
3. Reg. 3 a Deo; sed non solùm, verum etiam & ignominia. Ad Maio-
rem Dei Gloriam.

DOMINICA XXII.

Cuius est imago hæc? *Matth.* 22.

PRetiosissimus Dei thesaurus Homo, cuius Ani-
ma lumine vultûs sui insignita est, adeoq; & imi-
Psal. 4 go illius est. Quælibet Anima habet imaginem
Dei per creationem, quia sicut vnus est Deus, &
tres personæ, ita in vna Anima, sunt tres poten-
tiæ, vel tres virtutes, inquit præclarus Ecclesiastes
S. Vincentius *Serm. 1.* Doctor verò Angelicus *1. p. q. 93.* ita
ferè ratiocinatur: in inferioribus Creaturis posuit Deus vesti-
gium sui, in homine verò Imaginem sui. Concordat sacro tex-
tui, vbi dicitur *Gen. 9. cap.* Ad imaginem quippe Dei factus
est Homo. Hinc D. Gregor. *lib. 1.* super Ezech. *hom. 12.* ait:
nullum omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale zelus Ani-
marum, & hoc propter Imaginem Trinitatis impressam in A-
nimabus. Est igitur Anima hominis, Dei Imago vel potiùs Imi-
tago, quæ tum omninò esse talis agnoscitur, si referat similitu-
dine prototypon suum, Mirum enim, quantum incumbat ho-
mini vt suo conformari authori audeat, cuius Imitago est, adeò
sanè

anè vt videns aliquis quispiam Hominem, videat in illo, suo
modo, Deum. Quod tracto, Ad Maiorem Dei Gloriam.

Cuius est imago hæc? *Matt.* 22.

SPeculatores Imaginum, & Censores earum, in duplici ferè
sunt differentia. Alij certè, Iuxta Artis pictoriæ amussim, Flectores
de illis judicant sapienter, alij varietatem solam colorum, & Imaginũ
nuda lineamentorum parerga, suspiciunt, & sæpiusculè, minus, varij.
magis perfectis anteponunt. Speculatur & Deus Animam, lu-
mine vultûs sui insignitam, velut Imaginem suam, ad quam fa-
ctus est Homo *Gen. 9.* scrutando renes & cor, ac proinde sæpi-
ùs Anima Iusti, qui hominibus paret vilissimus & abiectissimus,
in oculis diuinis pulcherrima, Solem æmulatur illustrissimum.
nisi enim per virtutes adextra radiet, hominis intuitum omninò
effigit. *Cant. 6.* jactabat Sponsa: Nigra sum sed formosa. an
pugnantia loquitur? quî enim pulchra? si nigra, & contra?
verùm hoc est quod tractamus, nigra judicio Mundi, & oculta
& oculorum hominis, sed formosa judicio Dei, qui intuetur
cor, penetrat Animam & exigit imaginem suam. Mirum qui-
dam olim conspexit Iacob, in vultu & facie Esau fratris sui, dum Esau faci-
meticulosus præmisit munera, vt placeret eum *Gen. 33.* Vidi es quasi
inquit faciem tuam, quasi viderem vultum DEI! Auditur vul- vultus Dei
tum Dei in facie vidit fraterna, quia Esau, dum inuenia danda visa Iacob
esset facilis Dei Imitago factus est; quotquot virtutes Diuinas frátri suo.
in se expresserit Homo, tot velut radios emittit ab anima, si-
militudinis Diuinæ prænuncias. Et, si quidem Homo Diuinæ
contraria agit bonitati, næ ille Imaginem illius insigniter de-
turpauit. quid enim? in crudeli homine Dei misericordia? in
mortuo peccatis immortalitatis? in superbo humilitatis? in
Vsurario, Dei visitur liberalitas? potest Sponsæ contrarium di-
cere: formosa sum, sed nigra; imago Dei sum, sed deformata.
Vnde tu qui accepisti imaginem Dei, qui accepisti similitudi- S. Ambr.
nem eius noli eam irrationabili fœditate consumere. l. 7. cõm.
in Luc.
A pictore aliquis recens effigiatam gerens Imaginem, lapsus

in cænum, mirum quantum infecit. & emaculare volens, lituris (colores enim necdum Iustè duruerant omnes) pœnè abstersit. Herus, vt primum opus tam affabrè perfectum, sed injuria & culpâ latoris, turpiter abolitum conspicatur, vapulare multis malè cautum imperat. Quàm speciosa facta est à creatore suo Anima hominis & Imitago vultûs eius! eam tibi, ô Homo! & tibi tuam, & tibi, & illi suam, commisit, toto gerendam decursu vitæ, & cautè quidem, neque ei aspergeretur macula, interim, quoties peccati cæno immersus es, animam inquinasti, vide ergo, quæ te maneant à Domino tuo olim verbera. Nec meus omninò iste proprius discursus, at prænominati Sancti; quando verò, inquit ille, anima peccat mortaliter, non perdit imaginem Dei, sed imago deturpatur, sicut, si aliquis cum luto, seu cum incausto, deturpat sibi faciem, non perdit faciem, sed deturpat eam. Ita quando homo peccat per superbiam, non perditur imago, sed maculatur, & supponitur alia imago, sicut de illis qui recipiunt, & supponunt sibi laruas, vel barbas in ludis, sic ille qui peccat, superponit sibi Imaginem Diaboli. Hinc D. Anselmus in Orat. Heu qualem me feci! formasti me Domine ad amabilem imaginem tuam, & ego super induxi imaginem odibilem! Heu! heu cuius? cur non odi eius imaginem, cuius sic horreo nomen?

Peccatum maculat imaginem Animæ.

Protogenem illud pictoria in arte miraculum, quosdam adijsse fertur vt Dianæ pingeret effigiem. Ad sua Protogenes, tabulam, penniculos, conchas, & sexcenta instrumenta. atq; mox, dicite inquit quibus expetitam lineamentis Deam velitis exprimam? nigroculam ait alter & oblongâ effinge facie; alter, rubentibus, ad candorem uultûs, malis, efforma. Facit Iussa artifex. sed suâ etiam sponte aliam expingit Dianæ imaginem præ foribusq; domûs locat. Redeunt Emptores, vtriusque considerant, ad assem, lineamenta, interim præplacet illa, quam spontè expinxit Protogenes, alterâ contemptâ quam Iussu illorum, effigiauerat! At, infert Prologenes, hoc quod vitupe-

Helic. l. 14 var. histor. 8. cap.

vituperatis, vos fecistis, quod suspicitis ego. Vtinam liceret peccatoribus, etiamnum coràm, Animæ ad imaginem & similitudinem Dei creatæ, pulchritudinem intueri! liceret vtinam suis nunc deformatum vitijs. illi speciosissimæ quondam conferre. delaudarent vtiq; quod creauit & fecit Deus, damnarent quod fecerunt ipsi. Verùm speculum huc aliquis, considerent uultum natiuitatis suæ nec obliuiscantur qualis fuerit Anima, imago videlicet & similitudo Dei, dixerit enim Rex propheta in filiarum hominum effusus Encomia: filiæ eorum compositæ, circumornatæ vt similitudo templi *Psal. 143.* Animæ hominum à summo creatæ Bono filiæ quædam sunt & imagines Dei! Imagines sacras & miraculorum gratià claras, qualem in montis clari Częstochouiensis Eremo Paulina ad Mensam Nafaream videre est, sipario tegere solenne est, siue raritatis, quæ Mater æstinationis est, siue venerandæ manùs excelsi gratià. Admirandam homo quilibet gerit intra se corpore inclusam Imaginem Animæ, admirandam in quam Dei uultùs lumine insignitam, & sacrosanctæ Triadis imitaginem, necessum porrò vt hæc tam pulchra lateat Esther, si cælesti placere Asuero concupiscit, nam deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via, non dico, vt non videant opera nostra bona alij, cùm in imagine videatur prototypon, in Anima verò hominis debeat videri Deus, sed hostis metuendus est, ne per suggestionem vanæ gloriæ, auarus enim illius est Homo, fædet, & vbi conspurcauerit, humanæ maculis auræ, minus Deo authori reddat, gratiosam. Cur Ludouicus Dux Lotharingiæ Elizabethæ Henrici Vngarorum Regis Filiæ aliquando speculum Imagine crucifixi insigne, in Amoris futuri significationem, miserit? nescio ab vllo quæsitum. forte an voluit illam ad Christi Domini in Anima conformatam Sanctitatem? certè Apostolus, omnes Imagines Dei Animas, eidem uult conformes ad *Galat. 6.* Fatus: qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs suis, si enim

S. Gregor. hom: 11.

Galat. c. 6

enim vt ait D. Chrysostomus: in hominibus agnoscitur Deus, Dei filium, exprimant, eiusq; diuino Humanas Virtutes necessum est. Et: nonne requisitus à Domino nostrum quilibet de anima cuius est Imago hæc? responderet, est Imago tua? signatum est super nos lumen uultûs tui Domine, id quod Rex propheta *Psal. 4.* asseuerat. Sed vereor, ne imago Animæ, imago sit alterius, non verò Authoris & creatoris sui. Impij enim, ex mente? S. Ignatij Martyris *Epist.* 6. ad Magnesianos, imaginem habent Principis nequitiæ, quam sibi super imponunt, vt ait D. Vincentius, dum peccant. Arelium è pictorum schola, accepimus, omnes Imaginum facies ad coniugis amatæ modum expingere solitum. Auditor! si amas, & verè diligis ex toto corde Dominum Deum tuum, si Anima Imitago Dei, verè tibi cordi & in amoribus est, ad imaginem & similitudinem Dei te transformare satage, nisi enim in te agnoscatur Deus amatus, per operum bonorum exercitiũ, quomodo eris Dei imago, cuius opera omnia valdè bona? Veniet vtiq; supremus, Imaginis huiusce, Dominus, & censor, districtè imperans reddi sibi, quod suum est, fatus: reddite quæ sunt Dei Deo. quæret voce terribili, cuius imago hæc & superscriptio, quam non recognosco, adeò vtiq; conspurcatam & mille varijs fædatam sceleribus? proinde, ne, quod veste carenti nuptiali, contingat nobis obmutescere, aut quemadmodum Cassandro ad Alexandri Magni in imagine conspectum corruere, agamus pænitentiam & conuertamur, vt deleantur peccata nostra *Act.* 3. aboleamus lacrymis, quod appinximus malè vitijs, vt clemenenter recipiat, qui ad imaginem & similitudinem suam fecit nos. Ad Maginam Dei Gloriam.

Imago Alexandri Magni!

DOMI-

DOMINICA XXIII.

Tenuit manum eius & surrexit puella. *Matt.* 9.

ÆTernum illud Verbum, sine quo factum est nihil quo factum est, sed omnia per ipsum facta sunt *Ioan.* 1 *c.* ille inquam, qui omnia quæcunq; voluit fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis æqualis, in Diuinitate, Patri Filius, hodie in suscitanda Filia Principis admirabilis, & manũ tenuit & surgere jussit defunctam. Placet Chrysologus *Serm.* 18. fatus: Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem. Aureæ omninò; vbi & vnde antiquus Adam accersiuit mortem, ibidem & inde nouus Adam vitam instituit. Optarem omnium hodie à Christo teneri manûs, ad merendam vitam, de quibus aliquando filij Adæ acceperunt mortem. Inclamabo igitur sub huius puellæ nomine, omnes dormientes peccati somnum, surge qui dormis, & resurge à mortuis, & illuminabit te, imò manum tuam tenebit Christus ad vitam, de qua accepisti mortem. Ad Maiorem Dei Gloriam.

Psal. 134.

Chrysol. Serm. 19

Tenuit manum eius. *Matth.* 9.

DE vitandis ex propinquorum societate peccatis disserens quondam seruator *Matth. c.* 5. Si autem manus tua scandalizat te abscinde eam & proijce abste. S. Hieronymus: si ita est, quis tibi conjunctus vt manus & est vtilis, scandalum autem tibi facit & propter dissonantiam morum te pertrahit ad gehennam, melius est vt & propinquitate eius & emolumentis carnalibus careas, quàm, dum vis lucrifacere cognatos & necessarios, causas habeas ruinarum. Accepisti aliquando de manu sociorum, Vicinorum, cognotorum mortem illis

Matt. 5.

Li. 3 cóm. in cap. Matth. 8.

lis adhærendo, aut concurrendo, ad Chriſti manum & amici-
tiam celera, ille tenebit manûs tuas ad vitam, ſi adhæſeris ei,
itá, vt poſtliminiò dicas : Tenuiſti manum dexteram meam &
in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me,
Pſal. 72 *Pſal. 72.* ſequela complicum manuducit mortem, dum in-
ducit ad peccatum, Chriſti ſequela tenet manum ad vitam,
dum complices etiam animat ad bonum. Abſolon Regis Da-
uid filius, nondum peſſimo illo parricidali obſtrictus in anima
ſcelere, erexerat ſibi titulum inſtar Mauſolæi ficturum, cum
Epitaphiũ epigraphe celebri dicam an pudenda ? MINVS ABSOLONIS!
Abſolonis. *2. Reg. 18.* Inconſultè omninò : qui enim arbitraretur, hunc
animo penitiore & oculo, facilè deprehenderet loquentem :
hæc eſt degeneris illius parricidæ Filij manus, qua, excor-
dans filios Iſrael, dum ſe accederent, tangebat, peſſimorum,
Epitaphiũ in tam pium Parentem, conſiliorum faber, illa illa manus hæc,
infame. lapidi muto inciſa eſt, quæ etiamnum omnibus euulgat cla-
moſiſſimè, quàm impiè, nequam filius, leuâret manum con-
tra Patrem ſuum ! Afferte manus veſtras ò filij hominum Chri-
ſti contactu dicam, an potiùs obedientià erga Parentes ? ſa-
nandas, omnes enim qui de manu Abſolonis accipiunt, im-
pij in parentes, & contra progenitores manum leuare præ-
ſumentes, mortem accipiunt, fugite titulum, horreſcite ſe-
pulchrum.

Myſterij pleniſſimum autumo, quod oculis caligans, Iacob
Gen. 27. Patriarchæ &; Eſau Pater, antequàm benediceret Iacob, quem
eſſe Eſau primogenitum exiſtimabat, fecit. cùm enim cibos
obtuliſſet, & inuitâſſet ad diguſtendos eos Patrem. accede huc
(dixit Pater) vt tangam te, fili mi, & probem vtrùm tu ſis fili-
us meus Eſau an non ? *Gen. 27.* qui, & palpato eo, ſubintu-
lit : Vox quidem vox Iacob eſt, manus autem, manus ſunt
Eſau. O quot manûs putatæ genitiuæ vitæ, mortem gignunt
etiam æternam! nimirùm vox quidem, vox Iacob eſt, manus
autem, manus ſunt Eſau, & aliendæ à voce. Gloriamur inani
Chri-

Chriſtianorum nomine, opera verò exercemus eidem inimi- Quis dicẽ-
ca. & quanti ſunt qui de manu ſimili acceperunt mortem ? dus Chri-
Rex propheta. *Pſal. 113.* Manus habent & non palpabunt, ſtinus ?
dicebat de ſimulachris idolorum, timeo ego, ne veriùs dica-
tur idem, de operibus veris Chriſtianorum. Num tu illum
Chriſtianum putas, in quo nullus Chriſtianitatis actus eſt, nul-
la conuerſatio juſtitiæ, ſed impietatis, nequitiæ, ſceleris ? cla-
mat *S. Auguſt. in lib. de Vita Chriſtian. cap. 11. Et : cap. 14.* tu
Chriſtianum illum putas ? cuius nunquàm pane ullus ſatiatur
eſuriens ? cuius potu nullius ſitis extinguitur ? cuius menſam
nemo pauper cognoſcit ? ſub cuius tecto nec aduena, nec pe-
regrinus aliquando ſuccedit ? cuius nemo nudus tegitur vela-
mentis ? cuius pauper nullus fouetur auxilio ? Chriſtianus eſt
qui dicere viuo ego, iam non ego, viuit, verò in me Chriſtus.
Galat. 2. Date porrò manûs Aditores, vt eas tangat Chriſti be-
nignitas, inflammetque ad merendam, per pia opera vitam,
vnde tot accipiunt mortem ! Midas vt fabulantur paſſim, quid- Midas au-
quid tangebat, fiebat Aurum. Sponſa verò manus Chriſti de- rifex mi-
ſcriberis *Cant. 5. cap.* ait : Manus eius aureæ plenæ hiacynthis. rabilis.
Alij ex Hebræo : plenæ Tharſis vt etiam LXX. interpretatur.
Vtinam Chriſtus tangat manûs omnium aureis ſuis manibus,
& præ fabulo Mida, aurum eas iubeat eſſe ! quid ita ? Auri ma- Aurum ex
teria, inquit Abbas Lucas, quocunquè deduxeris ſuâ mollitie natura du
ſequitur. aureas manus optauerim ad vitam, quæ ſua mollitie ctile,
ſecutæ ſunt alios ad mortem ! Demus proinde manum Saluatori
tenendam, cuius manûs vt plenæ ſunt Tharſis, & omni nego-
tiatorum pretioſiſſimis ex parte onuſtæ theſauris, ita nos red-
dant veris diuites opibus & operibus, quorum pretio, vi-
tam comparemus æternam. Ad Maiorem
DEI Gloriam, AMEN.

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Tunc videbunt. *Matth. 24. cap.*

TRemendnm illud & ineuitabile Iudicium, citius
faciendi potestatem dedit Pater Filio *Ioan. 5. cap.*
vti mille varia passim sortitur in scripturis nomina,
dicitur enim dies Domini magnus, & : dies iræ,
dies tribulationis & angustiæ, dies calamitatis &
miseriæ Sopho: *1. cap.* præterea : Aduentus Domini : Veniet
Dominus Deus meus omnesque Sancti cum eo *Zachar. 14. cap.*
Et Malach. cap. 2. Ecce venit dominator Dominus & quis stabit
ad videndum eum ? ita optimo iure appellandum videtur dies
publicationis decreti, quod in Iudicio particulari latum est, à
districto Iudice : Mecum D. Pauli testimonium accipite : statu-
tum est hominibus semel mori, post hoc actum iudicium, id
quod D. Augustini *tract: 12. in Ioannem* ex ponit sententia : non-
dum apparuit judicium, sed iam factum est judicium. In illo
igitur vallis Iosaphat Anychitheatro, vbi se disceptaturum as-
serit cum omni gente Dominus *Iob. 1. cap.* publicabitur, Iudi-
cij particularis, decretum, òmnibus ; nam teste Apostolo : O-
mnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat
vnusquisq; propria corporis prout gessit, siue bonum, siue ma-
lum, *2. Cor. 5.* Et tunc videbunt omnes, tunc apparebit judici-
um quod factum est, sed signatum in thesauris Domini. De-
quo, vt salubriter discurramus. Ad Maiorem DEI Gloriam Sa-
lutetur aduocata nostra.

Quid dies Iudicij extremi?

Hebr. 9.

Tunc videbunt. *Matth. 24.*

I. VNiuersalium Decretorum ea est publicandorũ apud ter-
restres Principatûs ratio, & receptissima consuetudo, vt
id ipsum

id ipsum futurũ, per Regia diplomata, innotescere faciant omni-
bus Ditionum ac Regnorum suorum incolis, quatenus ad-
sint omnes, quoniam omnium interest. Omnes debent nòsse
quod agitur, quando omnium causa tractatur inquit *S. Cale-*
stinus Papa Epist. 1. apud Hincmarum. Haud aliter facturum
Principem Regum terræ & Iudicem Vniuersorum sacri testan-
tur Euangelistæ, mittet enim Angelos suos cum tuba & voce
magna & congregabunt omnes gentes vt canit Ecclesia.

S. Cœlest: apud Hincmarũ Remensẽ Archiepisc:

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra Regionum
Coget omnes ante thronum!

Tunc qui in monumentis sunt audient vocem filij hominis
Ioan. 5. & reuiuiscent & stabunt super pedes suos *Ezech. 37.*
cap. clamabit enim (*vt Ludouicus de Ponte 18. Medit.*) Ar-
changelus instar tubæ voce illâ terribili : surgite mortui, ve-
nite ad judicium vt ait *D. Hieronymus in Reg. Monach. c. 30.*
Hæc erit Citatio Altissimi. Auditor cui comparabo vocem
hanc tam horrendam ? *Refert theatrum v. h. pag. 3939. Anno*
1593. mense Augusto. ignem accensum esse in puluere arma-
mentarij Neruæ Ciuitatis celebris in Liuonia, & totam Vrbem
vi ignis terræ motu contremuisse, vitreas fenestras omnes dis-
silijsse, corruisse domuum fumaria, incolasq; tanto perculso
esse terrore vt se absconderent, rati, mundi machinam pro-
ximè ruinam minari. Non comminabitur ampliùs die illo
venturus Iudex, sed præsentissimam, dies iræ, dies illa, mon-
strabit ruinam, sòluens sæculum per ignem ; Heu! quantus ti-
mor & tremor futurus peccatorum! semper enim præsumit
sæua perturbata, inquit *Sap. 17. cap.* conscientia! quis enim
stabit ad videndum eum ? *Malach. 2. c.* Dicamus proinde nunc
millies : confige timore tuo carnes meas à judicijs enim tuis
timui. *Psal. 118.*

Tuba nouissima quid?

Laurent: Lauredan, titulo Iudic: Extrê.

II. CItatis porrò quorum interest omnibus, ipse supremus Iu-
dex & Princeps, magno, suorum pariter ac Senatorum

adest stipatus comitatu, & præferentibus insignia & fasces Regios, ministris, diffuso circum quoq; populo, tribunal scandit honorificè præparatum. Talem quondam Majorum suorum fuisse morem insinuat Polonia vt sub papilionibus magna daret Iura Rex, quod & Boleslaum Audacem fecisse legitur, dum Sancto Antistiti Stanislao, è triennali mortis quiete, reuocatus ad vitam Nobilis Petrus, perhibent testimonium. Aderit mox die illâ & Rex noster de cælo, attestante symbolo Apostolico: inde venturus est judicare viuos & mortuos. Et *Actor. 2. cap.* Hic IESVS qui assumptus est à vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum. Aderit gloriâ coronatus immortalitatis, amictus lumen sicut vestimento, cum Virtute magna est Maiestate, sub cuius pedibus subijcientur omnia, ita, vt in nomine eius omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum *Philip. 2. cap.* Comitatus verò illius in sanctis millibus suis vt Canonica Iudæ habet *cap. 1.* omnes vtique Angeli eius cum eo, quorum Antesignanus Archangelus, signum præferet S. Crucis, signum amabile Electis, reprobis autem formidabile! Imò putarem & ijs, qui Catholicorum etiamnum illudunt cerimonijs, & passionis Domini, contemptui habent Imagines. Tandem super nubeo collocatus throno, vultum admirabilem, ô fortem omni infelicitate superiorem! Electis nempè Paternum, vt bonis filijs, reprobris contrà Iudicis irati, horribilem! vt pote adulterinis, demonstrabit. O quàm iucunda & amabilis, vulnerum in Christi carne pro salute nostra susceptorum Electis visio! verùm, quàm horrenda, in malos inde radiabunt, jacula, qui plangent, illis visis, quasi super vnigenitum, & dolebunt, vt doleri solet in morte primogeniti *Zach. cap. 11.*

In vita S. Stan: Epi Martyris.

Crux Sancta aderit in Iudicio

Quantus tremor est futurus!
Quando Iudex est venturus
Cuncta strictè discursurus!

Sedebis illic haud dubiè, misericordiæ Mater, ad latus plusquam Salomonis vnigeniti tui, Maria. sed numquid aduocata nostra? Minimè. Sedebunt iudicantes, vt promissum habent Apostoli, conspicui Tyrannis à quibus, cæsi sunt, lapidati sunt, in ore gladijs occisi sunt. Tunc spectaculum fiet omnis Homo, Deo. Angelis & hominibus, ô mirum ac tremendum spectaculum! Quando:

Matth. 9.

Iudicabit Iudices Iudex Generalis
Neq; quidquam poterit dignitas Papalis
Siue sit Episcopus, siue Cardinalis
Reus condemnabitur, nec dicetur qualis!
Ibi nihil proderit quidquam allegare
Nec & Apostolicam sedem appellare
Neq; quid excipere neq; replicare.
Cogitate miseri qui & quales estis?
Quid in hoc judicio dicere potestis?
Hic non erit codici locus nec digestis,
Idem erit Dominus, Iudex, Actor, testis!

In extremo Iudicio nulla disputatio,

III.

Delrio in disq: Mag.

IAm sequitur ad ipsam decreti Vniuersalis publicationem progressus, vbi diuisis aduersarum partium hinc & hic Personis alto cum silentio definitiua & irreuocabilis expectatur sententia. Breuibus idem de Iudicio finali expressit Euangelista fatus *Matt. 13.* Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio Iustorum. Et *24. cap.* sicut Pastor separat oues ab hædis, & statuet quidem oues à dextris, hædos autem à sinistris. Tunc aperientur conscientiæ omnium, illuminabit enim Dominus abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium *1. Cor. 4.* nec hædi inter oues igitur latebunt, nec in medio Iustorum mali ab Angelis vtiq; imò omnibus cognoscendi! Aderit dies illa (inquit D. Hieronymus) in qua, peccata nostra, quasi in quadam tabula picta demonstrabuntur. Auditor, quàm grauiter fallimur, dum mala nostra præterita, non diluta vllis pœnitentiæ actibus, nullis abolita lacrymis pertransisse

Peccata nostra referantur.

Laurent: Laured: sylu. rerũ.

ſiſſe malè opinamur! ſignaſti ſicut in ſacculo peccata mea dicebat *cap. 14. Sanctus Iob.* Quid putas ſimilitudinis? Narrat Author Venetus, relatum ſibi à quodam, quòd eum in diuerſorio quodam Germaniæ vnà cum ſocio inebriatus, è marſupio ſingillatim exemptos nummos poſt tergum, vſque ad euacuationem ipſam, jaceret, ac in craſtino pecuniam ſuam eſſe perditam crederet, ecce tibi ſtabularia, eam heri ad aſſem collectàm, cum ſacculo reddidit. Ita Deus, noſtra quaſi in ſacculo collecta ſignat mala, olim in conſpectu ante faciem omnium populorum præſentanda. Nimirùm nihil occultum quod non reueletur, & nihil abſconditum, quod, die illâ, non ſciatur *Luc: 12. cap.* vnde ait *Pſal. 49.* Arguam te & ſtatuam contra faciem IV. tuam, LXX. ſtatuam contra te peccata tua.

Christus voce ſenſibili dicet ſentent ã

Tandem expectatum illud publicatur Decretum & ore; Principis finaliter prolatum confirmatur irreuocabiliter! Senſibili voce ſuâ definitam ſententiam prolaturum Iudicem Chriſtum Dominum ſentiunt Abulenſis *q. 333.* Ianſenius, Sotus, Ludocus de Ponte & alij. Qui Electis quidem gratioſo & amabili vultu paternè dicet: Venite benedicti Patris mei poſſidere regnum paratum vobis à conſtitutione mundi *Matt. 21.* Eſuriui enim & dediſtis mihi manducare &c. O verbum omni melle dulcius! ſi enim anima Sponſæ liquefacta eſt vt dilectus locutus eſt, quis non diffluet gaudio, quem tam optabilis à Iudice prolata vox concernet? Conuerſus autem ad ſiniſtram, ô væ miſeris! væ peccatoribus reprobandis! Diſcedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius. Eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare &c. Petrus Hiſpalenſis Sylu. *p. 4. c. 23.* ait in Tartaria fieri tonitru, tam ingenti fragore, vt aliquando homines moriantur. Sed ô vocem omni tonitruo horribiliorem à tam irato Iudice an Leone dicam? rugiente proferendam? Quid poteſt lamentabilius cogitari & terribilius quàm Ite, & quid delectabilius exprimi quàm venite? Duæ ſunt voces, quarum nihil horribilius

vnâ

vnâ & nihil jucundius alterâ audiri poterit! Hinc ô terribilem fulminatorũ voce Chriſti ſententiam! terra dehiſcet, mox damnatos cum Diabolo & Angelis præuaricatoribus opertura in modum Dathan & Abiron *Num. 17.* vbi dirupta eſt terra ſub pedibus eorum & aperiens os ſuum deuorauit illos, deſcenderuntq; viui in infernum operti humo.

Auditor quod tam pauendum? quid tam plenum anxietatis? cum D. Bernardo loquor, & vehentiſſimæ ſollicitudinis excogitari poteſt? quàm judicandum adſtare illi tam terrifico tribunali & incertam adhuc expectare ſub tam diſtricto judice ſententiam? *Serm. 8.* Super Beäti qui &c. Agamus amabo pro nobis dum tempus eſt miſericordiæ vt ait D. Auguſt. quia ibi erit locus Iuſtitiæ! Dicamus ei, præoccupantes faciem eius in confeſſione, non intres in judicium cum ſeruo tuo, quia non juſtificabitur, in conſpectu tuo omnis viuens *Pſal. 142.*

Ad Maiorem Dei Gloriam, Amen.

AD LECTOREM.

Finit Lector beneuole Lvcerna, *quam, pedibus Viatorum, verbi Diuini lumen præferentem, vocamus, exules videlicet populi Allocutiones, à me ſæpiùs dictæ linguâ vernaculâ. Breues eſſe volui, nec longiores etiam dixi pro concione, non animo, breuitate, vt Poëtis innatum eſt, placandi, ſed vt addendi facultas eſſet pro cuiuſq; arbitrio. Quæ vbi lucem viderint publicam, alias in dies Feſtos, dabimus, ſub vale & faue. A. M. D. G.*

Titulo Columna ignis.

INDEX
THEMATVM.

Dominica I. Adnentùs.
Aduentùs Domini incertitudo.
Dominica II. Aduentûs.
Quomodo loquendum de proximo?
Dominica III.
Quatuor voces Musicæ, virtutum S Ioannis expressiuæ.
Dominica IV.
Anima præparanda Christo.
Dominica vacans in Natiuit:
Conscriptor Electorum Christus in carne assumpta magnificatus.
Dominica vacans in Circumcis:
Imagines mysterijs vitæ IESV *insignitæ in strenam.*
Dominica I. Post Epiphaniam.
Obedientia Liberorum erga Parentes.
Dominica II. post Epiph:
Euangeliũ esse bonũ Vinũ. Nuptiæ passim
Dñica III. post Epiph: *(Ineptiæ.*
Animæ cura prior curâ corporis.
Dominica IV. post Epiph:
Vt hinc enauiges feliciter requisita.
Dominica V. post Epiph:
Electi sunt Triticum.
Dominica VI. post Epiph:
Cælum grano Sinapis æstimatur.
Dominica Septuagesimæ.
In Vinea Christus vitis, nos palmites esse
Dominica Sexagesimæ. *(vult.*
Agenda ne Dei Verbum tollatur de corde. Quidam Petrosi.
Dominica Quinquagesimæ.
Memoria Passionis Christi amuletũ contra
Dominica I Quadrag. *(peccata.*
Facilè succumbere non resistentes.

Dominaca II. Quadragesimæ.
Niues Animæ.
Dominica III. Quadragesimæ.
Reticentia peccati noxia.
Dominica IV. Quadragesimæ,
Cur Lætare dicta? Virorum absentia, annullat numerum præsentium.
Dominica Passionis.
Dies CHRISTI.
Dominica Palmarum.
Ex Asino doctrina.
Petri Doctores Parentum.
Dominica Resurrectionis.
Opere non verbo pronuntiandum surrexit. Sol Iustitiæ sequendus.
Eeria II. Pascha.
Fuga CHRISTI *à nobis.*
Feria III. Pascha.
In Vulneribus Christi securitas. Pluvia oculorum detentiua eius.
Dominica in Albis. *(ostendenda.*
Christo manus ostendenti, manus nostræ
Dominica II. post Pascha.
Malus Pastor peior nullo. Modus pascendæ
Dñica III. post Pascha. *(Animæ.*
Æternis hærendum.
Dominica IV. post Pascha.
Ad Patrem suũ vadere singulos peccato-
Dominica Rogationum. *(res.*
Vnde cõmendabilis Oratio? Qui petant
Dominica infra Ascensionis. *(malè.*
Christi promissum multis ingratum.
Spiritûs Sancti attestatio.
Dominica Pentecostes.
Quibus trahatur ad nos S. Spiritus.
Recedit non inuentâ domi Animâ.

Feria II. Pentecostes.
Stulta Opinio nos à Deo non videri.
Feria III. Pentecost:
CHRISTVS *Ostium vitæ.*
Dominica SS. Trinitatis.
Sub vno & trino securitas.
Dominica II. post Pentecost:
Peccator inueteratus in Vxorẽ ducit pec-
Dñica III. post Pentec: *(catum.*
Recipiens peccatores qui accedendus.
Dominica IV. post Pentec:
Rete piscarium Verbũ Dei Captura Va-
Dñica V. post Pentec: *(ria.*
Irâ stante in nobis nil Deo gratum.
Pro Irascentibus Agenda.
Dominica VI. post Pentec:
Ad mensam Dñi vadunt sani. Sine Viatico, ex hac vitâ migrare res periculosæ ple-
Dñica VII. post Pent: *(na alea.*
Spes vitæ longioris falsus Propheta.
Dominica VIII. post Pentec:
Delicata seruorum Fidelitas.
Dñica IX. post Pent: Assũpt: B. V. M.
Videns Iesus Ciuitatem nouam Ierusalem non flet vt olim videns veterem. Flet vt & nos fleamus.
Dominica X. post Pentecost:
Qui adsunt distracti in templo absunt.
Dominica XI. post Pentec:
Surdam reddit Animam lapis surdus.
Dominica XII. post Pentec:
Beati qui non vident quæ nos. Inductiua in Amorem proximi.
Dominica XIII. post Pentec:
Lepra peccati deturpat Animam. Fœda in Patronos Ingratitudo.

Dominica XIV. post Pent:
Omnia transitoria sunt additamentum.
Mundus amatorum suorum Molitor. Noxius vestitus.
Dominica XV. post Pentec:
Ciuitas Animæ non fœdetur cauendus in ea mortuus. In Exemplum sui similium Adolescens moritur.
Dominica XVI. post Pent:
Hydropici. Obseruatores.
Dominica XVII.
Soli Deo Cor pateat. In quæstione dubia cuius sit Filius? caueudum, silendum.
Dominica XVIII.
Iniquitas causa infirmitatis. Sub Clemente IX. Iubilæum.
Dominica XIX. post Pentec:
Vestis Nuptialis Innocentia. Quàm terribile olim erit obmutescere.
Dominica XX. post Pent:
Initium moriendi faciendum Non recurrendum ad Diuinos.
Dominica XXI. post Pent:
Arithmetice Mundanorum.
Dominica XXII.
Anima Hominis Imitago Dei.
Dominica XXIII.
Manus danda Christo.
Dominica XXIV.
Iudicium extremum Publicatio sententiæ & Iudicij particularis.

A. M. D. G.

Inuide mordaces caue stringere Zoile dentes,
Vulcanum in cornu pagina nostra gerit.

Quoniam tu illuminas Lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas. *Psalm.* 17.

AVTHORES CITATI
Ex Sanctis PP.

Ambrosius.
Augustinus.
V. Bæda.
Bernardus.
Chrysostomus.
Climachus.
Fulgentius. Francis: Salesius.
Gregorius Magnus.
Gregorius Nazianzenus.
Hieronymus.
Leo.
Petrus Damiani.
Petrus Chrysologus.
Vincentius.
Zeno.

Ex cæteris.

Alredus Abbas.
Antoni' de Vercellis Ord: Minor.
Angelici Gazæi pia Hilaria.
Bernardinus de Senis.
Bernardinus de Busto.
Boterus.
Brigelius
Bsouius.
Cantipratanus.
Cæsarius.
Didacus Nissenus.
Didacus Stella Ord: Min:
Drexelius Societ: I.
Helicius.
Hortulus Marianus.
Iacobus Bidermanus S. I.
Hermanus Hugo S. I.
Iacobus de Voragine Episcopus Ianuem.
Laurentius Surius.
Laurentius Baierlinck.
Laurentius Lauredanus.
Ludouicus de Ponte S. I.
Laërtius.
Matthæus Tympius.
Plinius.
Plutarchus.
Michaël Hungaricus Ord: Prædic:
Salianus.
Strigelius.
Valerius Venetus.
Thomas Kempensis.
Delrio S. I.

Infirmitas Dæmonis Dominica 2. Adventus.
Exemplum Domi 2. advent

1